BCS
LAUG
F
20
Biblioteca Civica
Saluzzo

d'inventaris
2431
S, H 100
X LAUG. F. 20

6

TRACTATIO
DE
MILIARIUM
ORIGINE, PROGRESSU, NATURA, ET CURATIONE.

AUCTORE

CAROLO ALLIONIO

IN ARCH. TAUR. PROF. BOT. EM., HORT. PUBL., ET MUS. RER. NAT. DIR. PRIM. R. SCIENT. TAUR. ACAD. SOCIO, ET THESAUR. PERP., NECNON ACAD. BONON., LUGDUN., MADRIT., ET PATAV., SOCIET. BASIL., BEROL. NAT. CUR., CÆSEN., PHYSICO-BOT. FLOR., GOTT., R. LONDIN. ET LINNÆAN., LUNDENS., PATRIOT. MEDIOL., MONSP., R. MEDIC. ET HIST. NATUR. PARIS., UPSALL., ETC. SOCIO

EDITIO SECUNDA
NOTIS, ET ADDITIONIBUS AUCTA.

BIBLIOTECA CIVICA
XXIV-C-20
SALUZZO

AUGUSTAE TAURINORUM
EX TYPOGRAPHIA JACOBI FEA
MDCCXCII.

PRÆFATIO

Jamdudum bibliopolae, distractis omnibus hujusce opusculi exemplaribus, me rogaverunt, ut vellem assidue, et frustra requisiti libri novam editionem proferre, aut ipsis evulgandam concedere. Non potui eorum voluntati illico indulgere, eo quod non pauca adjicienda haberem, atque vellem omnia iterum expendere, ut absolutior ille redderetur. Semper quidem perrexi ad trutinam omnia revocare, et observationes, quae ad rem faciebant, colligere; multiplicia vero, quae mihi incubuerunt officia, tum etiam alia studia ab opere perficiendo distinuerunt. Alia etiam temporis progressu accessit dilationis caussa, eaque profecta ex magna mutatione, quam morbus deinde habuit,

et continuo crescere observabam. In mentem igitur venerat consilium accommodandi tractationem illam temporum conditioni; sed animadvertens miliarium morbum aliquando etiam sub prima facie omnino procedere, mutato consilio rectius me facturum esse intellexi, si meum opusculum ederem cum iis additionibus, quas primitiva morbi natura sibi vindicabat, atque alterum festinanter evulgarem, quo praesentaneam morborum conditionem exhiberem. Diligentiam igitur omnem in id contuli, ut utrumque opusculum eodem tempore absolveretur, atque tractationem de Miliariis recusam statim consequeretur liber alter de praesentanea morborum indole, qui multum ex primi opusculi cognitione promanat, ipsumque illustrat.

In hac editione eosdem paragraphos servare cogitabam, sed rerum addendarum conditio jussit novos adjicere, cum opportunum locum in notis habere non possent.

Caeterum textum fere integrum servavi cum pauculis additamentis et mutationibus, quibus mentis atque dictionis sensus, distinctius, et concinnius exprimeretur. Notae vero, quae copiosae quidem sunt, continent additiones, quae constant ex posteris meis observationibus, et lectione plurimorum Auctorum, qui post annum 1758. de miliari morbo scripserunt; tum etiam propositiones nonnullas, quae contractiori stilo conscriptae majorem lucem expostulare videbantur, explanant, ut luculentius doctrina haec cognoscatur, pateatque omnis mentis meae ratio, paucis verbis expressa, non ita facile a tyronibus, et Medicis minus in praxi versatis apprehendenda. Haec sunt, quae ad novam hujus tractationis editionem praefari debebam: aequum nunc est, ut ab humanis lectoribus veniam petam, si plene eorumdem desiderio non fecerim satis, eosque rogem, ut velint meos conatus et labores excipere eadem indulgentia, quam mihi impertiti sunt

evulganti FLORAM PEDEMONTANAM, *ejusque* AUCTARIUM, *praesertim cum aucta adhuc ab eo tempore sit meorum oculorum imbecillitas. Quo factum est ut ad auctorum libros consulendos, et ad relegenda ea, quae meis commentariis olim tradita fuernt, tum vero ad cognoscenda illa, quae in dies scriptis mandantur, aliorum opera uti semper debuerim.*

AMPLISSIMÆ · ACADEMIÆ
INSTITUTI · SCIENTIARUM · BONONIÆ
PRÆSIDI · OPTUMO · SPECTATISSIMO
JACOBO · BARTHOLOMÆO . BECCARIO
CÆTERISQUE · SOCIIS · MULTIPLICI
ERUDITIONE · DOCTRINAQUE
TOTA · EUROPA · CELEBERRIMIS
CAROLUS · ALLIONIUS · SOCIUS
QUALEMCUMQUE · HANC · TRACTATIONEM
GRATI · ET · OBSEQUENTIS· ANIMI · ERGO
D· D·

Oportet itaque, ubi aliquid non respondet, non tanti putare authorem quanti aegrum, et experiri aliud atque aliud.
Celsus de medic. l. 3. cap. 1.

BENEVOLO LECTORI

CAROLUS ALLIONIUS

Opusculum hic habes, B. L., quo Tractatio continetur aegritudinis, quae crebro his temporibus incidit, et nobis maxime infensa est. Tractationis initium duco ab historia progressus, quem a prima sua origine ad haec usque tempora morbus habuit, varias ejusdem vicissitudines, et progrediendi rationem enarrans. Ea licet plurimum negotii mihi facesserit, valde manca tamen fortasse tibi videbitur. At veniam te mihi facile daturum fore confido propter magnam historiae conficiendae difficultatem, quae non modo Auctorum commentarios innumeros, sed et vetustas notitias ex multis, et dissitis regionibus expostulabat. Mihi praeterea persuadeo nullum exinde vitium

cessurum huic operi, cum instituti mei ratio pleniorem, et magis perquisitam chronologicam morbi narrationem requirere non videatur. Morbi progressus historia confecta ordinatim, et quantum licuit accurate, ac praecise ex propria observatione ea trado, quibus apud nos morbi cognitio, natura, et curandi ratio constituitur. Universum autem opus geometrico, simplicique stylo conscripsi non sine labore, et molestia, inutiles verborum repetitiones perosus, tuique commodo studens. Quantam itaque potui, operam omnem contuli, ut hoc opusculum in Patriae utilitatem conscriptum absolutionem aliquam obtineret: id unum a te, B. L., nunc peto in laborum praemium, ut velis meis conatibus arridere, et hanc lucubrationem aequi bonique facere.

CONSPECTUS
TOTIUS OPERIS.

CAPUT PRIMUM.

Miliarium origo, et progreſſus §. 1

CAPUT SECUNDUM.

Morbi nomenclatura §. 65

CAPUT TERTIUM.

Morbi distinctiones §. 70

CAPUT QUARTUM.

Diagnosis morbi simpliciſſimi
- I. Ante expulsionem §. 72
- II. Poſt expulsionem
  - *Si optime vertat* §. 75
  - *Cum aeger valde periclitatur* §. 76
  - *Si malum exitum prompte morbus habeat* §. 80
  - *Si morbus diutius trahatur* §. 82
  - *Et tamen aeger convalescat* §. 83
  - *Si aeger intereat* §. 84
- III. Miasmatis miliarium proprietates generatim §. 85
- IV. Morbi succedentes §. 86

CAPUT QUINTUM.

Diagnosis morbi simplicis §. 95

CAPUT SEXTUM.

DIAGNOSIS MORBI COMPLICATI

Generatim §. 97
Cum rheumatismo §. 98
Cum arthritide, et podagra §. 101
Cum febre catarrhali §. 102
Cum peripneumonia §. 103
Cum aliis miasmatis
Generatim §. 111
Cum febre putrida §. 112
Cum febribus intermittentibus §. 113
Cum febre quotidiana §. 115
Cum peticulis §. 118
Cum variolis §. 120
Cum morbillis §. 122
Cum febre scarlatina §. 123
Cum puerperio §. 124

CAPUT SEPTIMUM.

PROGNOSIS §. 127

CAPUT OCTAVUM.

EXTISPICIA §. 152

CAPUT NONUM.

MILIARIUM A NONNULLIS ALIIS EXANTHEMATIS DISCRIMEN §. 154

CAPUT DECIMUM.

REMEDIORUM EVENTUS IN MORBO NON COMPLICATO §. 156

CAPUT UNDECIMUM.

NUM ANTE LIPSIAE EPOCHAM VISA SIT MILIARIS FEBRIS §. 168

CAPUT DUODECIMUM.

Miasmatis miliarium proprietates §. 179

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Miasmatis natura §. 189

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

In morbi naturam, et praecipua phoenomena inquiritur §. 190

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Curatio morbi simplicissimi
Ante expulsionem §. 201
Post expulsionem §. 207

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Curatio morbi simplicis §. 216

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Curatio morbi complicati
Generatim §. 219
Cum arthritide, et podagra §. 220
Cum febre catarrhali §. 221
Cum pleuritide, et peripneumonia §. 222
Cum febre putrida §. 226
Cum febribus intermittentibus §. 227
Cum febre quotidiana §. 230
Cum peticulis §. 231
Cum variolis §. 236
Cum morbillis §. 238
Cum febre scarlatina §. 239
Cum puerperio §. 240

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

ANIMADVERSIONES, ET CAUTELAE CLINICAE

De praeſidiis chirurgicis §. 241
De medicamentis nonnullis §. 248
De regimine aegrorum §. 252

CAPUT DECIMUMNONUM.

CURATIO MORBORUM SUCCEDENTIUM §. 257

CAPUT VIGESIMUM.

PROPHYLAXIS §. 264

MILIARIUM

ORIGO, ET PROGRESSUS.

CAPUT PRIMUM.

1. Miseratus est jamdudum Cajus Plinius secundus lugendam hominum conditionem, quibus non modo certa, sed et nova incumbunt mala, seu in ipsa regione ex peculiaribus caussis producta, sive ab exteris gentibus communicata, cum doleret elephantiasis, et carbunculi novissime Romanum populum afficientis calamitatem. *Parum enim erant*, inquit, *homini* (a) *certa morborum genera, cum supra CCC. essent, nisi etiam nova timerentur?* Elephanthiasis quidem nostris exolevit temporibus, atque carbunculi ex orientalibus locis in alias regiones propagationem coërcuit nationum, maximeque Venetorum vigilantia; verum nihilo melior nostra conditio est, cum plures aliae deinceps advenerint aegritudines, quas veteres aut minime, aut perraro persenserunt.

(a) *Lib. XXVI. cap.* 1.

2. Variolarum seminium dederunt olim Saraceni. Luem veneream novus orbis communicavit. Anno 1475. in Anglia visa est (*b*) nova pestis species, sudoris Anglici nomine notissima. Italiam vero tamquam novus (*c*) morbus ex Cypro delatus ingressae peticulae sunt anno 1505 (*d*). Scorbuti veteribus fere ignoti fama, et frequentia percrebuit ab anno 1534 (*e*). Medio fere labente seculo decimosexto (*f*) in Britannia novus (*g*) apparuit morbus, cui rachitidis nomen datum est. Angina gangraenosa (*h*) rara olim anno 1610 (*i*) in Hispania magnam puerorum stragem edere coepit, unde in Melitam, Siciliam, Neapolitanum regnum, aliasque regiones migravit (*k*). Denique circa annum quin-

(*b*) *Cajus de Ephemera Britannica.*

(*c*) A veteribus jam observatum, et a *Jacobo a partibus* in Gallia jam adnotatum hunc morbum antea fuisse ostendit eruditus *Tilingius in tractatu curioso de febribus petechialibus. V. proemium.*

(*d*) *Hyeron. Fracast. de morb. contag. lib. II. cap. VI.*

(*e*) *Lind Traité du scorbut. à Paris* 1756. *tom.* 2. *pag.* 244.

(*f*) *Boerh. aph.* 1480.

(*g*) *Petrus Buchner in disput. de Arthritide, Argentorati* 1754. *impressa* §. *XXI.* ostendit rachitidis morbum Hippocrati innotuisse, quod jam notavit *Marcus Aurelius Severinus in libro de Paedarthrocace.*

(*h*) *Aretaeus* (*lib.* 1. *cap.* 9.) accurate hunc morbum describit.

(*i*) *Fothergill description d' un mal de gorge. Paris* 1749. *v. pag.* 2. *et* 9.

(*k*) Hic morbus proxime superioribus annis Parisiis, et Londini vehementer in pueros potissimum saeviit.

quagesimum proxime elapsi seculi (*l*) Lipsiae prodiit in maximam hominum perniciem plane insolita febris species ab erumpentibus pustulis Miliaris dicta, in qua, si hae subsideant, praeter omnem expectationem prompte convulsiones, et mors ipsa sequuntur.

3. Puerperis Lipsiensibus primum infensus hic morbus (*m*) temporis successu nemini pepercit, adeo ut pueros cum juvenibus, adultos cum senibus, viros cum foeminis indiscriminatim aggrederetur (*n*), aliis etiam se se jungens morbis (*o*). Aliquandiu constitit in agro Lipsiensi, quasi illarum gentium proprius, et peculiaris morbus; postea demum ad alias regiones se se extendit, universa non solum Germania, sed et aliis etiam quam dissitis

V. Mémoires de l'Académie des sciences pour l'année 1743. *p.* 156. *et Fotherg.*

(*l*) *Junkerus Welschium* secutus (*conspect. med. Theor. pract. p.* 601.) morbi hujus originem ponit ad annum 1652. *Christianus autem Langius* (*prax. Med. cap. XIII. de febribus* §. 9. *de purpura*) paullo ante annum seculi elapsi quinquagesimum.

(*m*) *Godofredi Welschii historia Medica novum puerperarum morbum continens disputatio die* 20. *aprilis* 1655. *V. cap. III.* §. *XXIII.*

(*n*) *Christ. Langius l. c.*

(*o*) *Christ. Langius* (*tom. III. p.* 351.) febrem epidemicam petechialem narrans saepe, funesto exitu, purpurae albae exanthemata petechiis supervenisse memorat.

nationibus pedetentim simili labe infectis.

4. Augustae Vindelicorum anno 1660. conjugem primiparam haec febris corripuit (*p*), quae sequentibus annis et alias puerperas invasit (*q*). Anno interim 1696. postquam minime lethales (*r*) purpurae vagatae essent Augustae Vindelicorum (*s*), proxime sequenti anno (*t*) in viro quadragenario detento febre petechiali, quae pleuritidem primo mentita est, et in virgine simplici petechiali febre afflicta, praeter peticulas, aqueas pustulas animadvertit Lucas Schroekius. Diligenti huic observatori hujuscemodi aqueae pustulae non occurrere anno 1698. (*u*); verum insequentibus annis 1699. 1701. etc. saepius pe-

(*p*) *Georgii Hieronymi Welschii curationum propriarum, et consiliorum medicorum Decades X. opus posthumum Aug. Vindelic.* 1680. *p.* 14. Ibi Auctor *febris coccineae* nomine Lipsiensem febrem describit.

(*q*) *V. in app. ad miscellanea curiosa Dec.* 1. *ann.* 4. *et* 5. *Georgii Hieronymi Welschii mictomemata, seu miscellaneorum medicinalium centuriae tres cent. III. n.* 75. Febres puerperarum curari monet Bezoarticis, et Diaphoreticis. Georgius vero Hieronymus Welschius mortuus est anno 1677., uti apparet ex mortuorum indice *Act. cur. vol.* 1. *inserto.*

(*r*) Purpurae illae minime referendae videntur ad miliarem morbum.

(*s*) *Append. ad decad. III. an.* 3. *et* 4. *Lucae Schroekii Constitutio epidemica Augustana anni* 1696.

(*t*) *Append. ad dec. III. an.* 5. *et* 6. *Constitutio epidemica Augustana anni* 1697.

(*u*) *Constitutio epidemica Augustana anni* 1698.

ticulis eo tempore grassantibus aquosae miliares pustulae supervenerunt (*x*).

5. Bavariae Medicis anno 1666., cum vagarentur eo tempore mali moris febres, hujusmodi miliares pustulae primum occurrerunt (*y*). Hamburgi etiam jam ante annum 1675. luem hanc passus est Johannes Daniel major (*z*). Post annum vero 1680. potissimum morbus se se diffudit, et brevi annorum curriculo pleraeque Germaniae regiones de truculenta, et saeva hac aegritudine conquestae sunt.

6. Wemdingenses anno 1689. mense novembris malignae peticulares febres afficiebant, iisque malo omnino exitu albae miliares pustulae aliquando adjungebantur (*a*). Eadem vero epidemia cum Donaverdam etiam similiter vexaret, hujusmodi miliarem efflorescentiam petechiis

(*x*) *Append. ad dec. III. an. 9. et 10. Constitutio epidemica Augustana anni 1699. et 1701. 1702. etc.*

(*y*) *Act. curios. app. ad vol. 6. p. 43. Grunwald Josephi historia febris miliaris ann. 1733. 1734. in celsissimo alpium apenninarum jugo epidemice graſſantis.*

(*z*) *V. Fabii Columnae opusculum de purpura cum adnotationibus Johannis Danielis majoris Kiliae anno 1675. impressum p. 10.*

(*a*) *Rosini Lentilii Miscellanea medico-practica tripartita. Ulmae* 1698. 4. Refert ibi (*pag.* 115.) exemplum mulieris cujusdam hoc morbo ereptae, cui magna copia miliarium pustularum in thorace post peticulas effloruit.

junctam adnotavit idem *Lentilius* (*b*), cujus observationi (*c*) innixus eruo Stuttgardiae (*d*) circa annum 1696. (*e*) etiam hunc morbum apparuisse.

7. Peripneumonia Philippoburgi epidemice grassante anno 1689. (*f*) *Conradus Brunnerus* nunquam antea visa hujuscemodi miliaria exanthemata primum animadvertit (*g*), eademque postmodum in duabus nobilibus foeminis, exeunte seculo, Dusseldorpii observavit (*h*). Norimbergenses referente Lochnero (*i*) etiam ante exitum proximi seculi morbum hunc receperunt; puerperae primum nobiles correptae fuerunt, deinde et aliae, ac etiam viri. Je-

(*b*) *Miscellan. nat. cur. Dec. III. an.* 5. *et* 6. *app. p.* 132. *Rosini Lentilii parallelismus ad observationes in ann.* III. *Dec.* I. *Eph. cur. contentas.*

(*c*) *L. c. quod nuper*, inquit ibi, *in duobus juvenibus notavi.*

(*d*) *Rosinus Lentilius* Archiater Ducis Vurtembergensis, et Protomedicus Stuttgardiensis Stuttgardiae vixit.

(*e*) Conjicio anno circiter 1696. habitam fuisse observationem, cum memoratus tomus *Acad. nat. cur.* referat observationes anni 1697. 1715. communicatas, et *Lentilius* recenter habitam fuisse illam moneat observationem.

(*f*) *V. memoriam Brunnerianam p.* 8. *app. vol.* 4. *Act. nat. curios.*

(*g*) *Scholion ad observ. CCVI. ann. vii. et viii. Dec. III. Eph. nat. cur.*

(*h*) *Observ. CCVI. de febri maligna miliari ann. vii. et viii. Dec. III. Eph. nat. cur.*

(*i*) *Mungos animalculum, et radix descripta. Norimbergae* 1705. et iterum 1715. *in app. ad cent. III. et* 4. *Eph. nat. cur.*

nam anno 1690. (*k*), et Erfurtum (*l*) ineunte praesenti seculo morbum jam habuisse colligo ex Wedelio, et Eyselio.

8. Saxonibus proximos Berolinenses primum adortus est miliaris morbus anno 1694. Januario, februario, et martio vagabantur (*m*) malae indolis febres cum varii generis exanthematis, quae junio mense pleuritides, et peripneumonias referebant, miliarium exanthematum quodam genere, et peticulis insequentibus. Anni etiam 1701. tertium trimestre (*n*) tulit malignas febres cum exanthematis miliarium. Post annum vero 1706. cum Saxonicae terrae Brandeburgicis additae fuissent, et Saxones foeminae Berolinensibus nuptae, maximeque post Suecorum in Saxoniam irruptionem, (*anno nempe* 1706.) quae plures familias Saxones se se Berolinum recipere coegit, Berolini frequens hic morbus factus est (*o*), ita ut

(*k*) *Georgii Wolfangi Wedelii Dissertatio inauguralis medica de purpura puerperarum* 1690.

(*l*) *Joh. Philippi Eyselii Dissertatio inauguralis medica de febre purpurata. Erfurti anno* 1702.

(*m*) *Gustavi Casimiri Gahrliep Constitutio epidemica Berolinensis anni* 1694. (*p.* 94.) *in app. ad Dec. III. ann.* 7. *Eph. nat. cur.*

(*n*) *Gustavi Casimiri Gahrliep Constitutio epidemica Berolinensis anni* 1701. *append. ad cent. I. et II.*

(*o*) *Acta Medicorum Berolinensium Dec. I. vol.* 2. *p.* 1.

proxime sequentibus annis extra civitatem etiam observaretur (*p*).

9. Goslariae cives ab anno decimo hujus saeculi in hanc aegritudinem incidisse Conradus Trumphius (*q*) testatur. Wittembergensi in Ducatu multo ante annum 1728. (*r*) miliarem febrem jam familiarem extitisse ex *Vatero* eruitur. In Wurtemburgia autem, et in primis Tubingae anno circiter hujus saeculi decimo octavo morbum hunc in nobili Saxone primum (*s*) fuisse observatum refert *Gmelinus* (*t*).

10. Francofurtenses ad Moenum Medici dirae hujusce febris primam tyrannidem anno 1723. persenserunt (*u*). Uratislaviae

(*p*) *Acta Medicorum Berolinensium.*

(*q*) *Observationes pathologico-practicae de purpura per annos 1737. 1738. in confiniis Goslariae epidemice grassante. V. app. ad vol. 6. Act. nat. curios.*

(*r*) *Abrahami Vateri Dissertatio inauguralis medica, qua casus singularis Asthmatis ex febre purpurata reportati etc. Witembergae 1730.*

(*s*) Sed jam ab anno 1700. in muliere quadam febre mali moris correpta, decima morbi die apparentes miliares vesiculas observavit *Rudolphus Jacobus Camerarius. V. ejusdem Schediasma ad historiam anni 1699. et 1700. in app. ad Dec. III. ann. 7. Eph. nat. cur.*

(*t*) *Johannis Georgii Gmelini disputatio de febre miliari. Tubingae 1752.*

(*u*) *V. Hoffmannum Med. sistem. p. 1. p.* (mihi) 222. ubi invenies consilium, quod Medici Francofurtenses ad Hoffmannum miserunt, et ejus responsum.

anno 1700. (*x*) epidemice regnavit purpura alba minime maligna, sed anno 1715, cum febres ex genere peticularium frequentes essent, peticulas consequebantur cum saevis omnino symptomatis miliaria exanthemata (*y*). Quae postea febris catarrhalis anno 1737. Uratislaviam (*z*) non modo, sed plura Silesiae loca vexavit, in aliquibus peticularum, in aliis purpurae albae, aut rubrae eruptionem saepe comitem habuit. Pragae, et in multis Bohemiae locis ab anno praeter propter hujus seculi trigesimo quinto (*a*) funestam miliarem febrem esse prodidit *Jacobus Smith*.

11. Vindobonae anno 1729. (*b*) purpura alba in puerperis primum (*c*) apparuit,

(*x*) *Constitutio epidemica Uratislaviensis anni* 1700. *p.* 334.

(*y*) *Godofredi Klaunig Uratislaviensis observata circa febres malignas petechiales Uratislaviae anno* 1715. *epidemice grassantes Eph. nat. cur. cent. v. obs. LXIII.*

(*z*) *Tobiae Ferdinandi Pauli historia febris catarrhalis malignae anno* 1737. *Uratislaviae, et in compluribus Silesiae locis epidemice grassantis Act. nat. cur. vol.* 6. *obs. LXVI.*

(*a*) *Jacobi Smith dissertatio inauguralis de febre miliari. Veteropragae* 1740.

(*b*) *Caroli Frider. Loeuv febris catarrhalis, quae anno* 1729. *per Europam epidemice grassata est. Act. nat. cur. vol.* 3. *app.*

(*c*) Anno 1684. post obsidionem Viennensem a Turcis illatam febres malignae exortae sunt cum peticulis, et pustulis, de quibus num de genere miliarium essent, decernere non licet. *V. Andreae Fackii de febribus malignis Eph. nat. cur. cent. v. obs. LXXVIII.*

quae sequenti anno et masculos (*d*) corripuit. Labaci in Carniola anno 1714. *Marcus Gerbezius* (*e*) mercatori vehementi febre detento minutas, et funestas vesiculas aqua refertas in universo corpore effloruisse scribit, et mala haec exanthemata sequenti anno 1715. frequentiora extitisse (*f*). (1).

12. Mariaeburgi, et Gedani febris pestilens magnam hominum stragem fecerat anno 1709., quae post anni 1710. initium omnino conquieverat. Eo anno cum Rex Poloniae (g) Mariaeburgum petiisset, aulici pestem contraxerunt, qua correpti, si purpurae exanthemata apparerent, vigintiquatuor horarum spatio deliri, et convulsi cito moriebantur.

13. Posonii, et Sopronii in Pannonia jam a multis annis saevus hic morbus

(*d*) *V. Loeuv l. c.*
(*e*) *Constitutio anni* 1714. 1715. *in Eph. nat. cur. cent. v. et vi. app.*
(*f*) *V. l. c.*
(*g*) *Christiani Henrici Erndtelii historica relatio febris pestilentialis in aula regia Polon. anno* 1710. 1711. *grassari deprehensae. Eph. nat. cur. cent. v. obs. XXX.*

---

(1) Ab eo tempore non infrequenter occurrit, atque Cl. Virorum, ut Collin, Molinarii, Stoerch etc., qui de hoc morbo scripserunt, diligentiam excitavit.

visus est. *Carolus Raygerus* (*h*) Posoniensis anno 1672. Posonii puellam annorum 12. febre maligna cum miliariis exanthematis correptam se prima vice curasse affirmat (*i*). *Carolus Fridericus Loeuv* morbum petechialem, qui Posonii anno 1683. epidemice regnavit, scribens (*k*), praeter peticulas visas fuisse monet cutis asperitudines miliaceas *milii solis*, *et sudaminum* instar, easque lethales. *Andreas* autem *Loeuv* (*l*) scriptum reliquit se anno 1697. peticulari febre grassante, cum jam rarae peticulae factae essent, in homine funestas innumeras miliares albas parvas pustulas adnotasse, easdemque, sed majores christallinas pustulas anno 1704. (*m*) in robusto juvene petechiis laborante iterum animadvertisse.

(*h*) *Eph. nat. cur. Dec.* 1. *an.* 3. *obs. CCLXXXI.*

(*i*) Nunquam antea a se visum hujusmodi exanthematis genus tradit *Raygerus*, qui tamen non siluit se accepisse, tum ab ancilla aegrae assidente, tum aliis mulierculis, hujusmodi morbum jam fuisse observatum.

(*k*) *Act. nat. cur. vol.* 2. *app. p.* 35.

(*l*) *Historia epidemica Hungariae conscripta ab Andrea Loeuv, et a Friderico Loeuv filio communicata Act. nat. cur. vol.* 1. *app.*

(*m*) *Ibidem p.* 40. *annis* 1699. 1700. 1701. 1702. 1703. 1705. 1706. 1707. 1708. 1709. nulla visa sunt.

14. Hafniam usque pervenit miliaris febris, (*n*) neque Suecia (*o*), et Russia (*p*) ab hac aegritudine immunes sunt.

15. Novae in Angliam anno 1684. (*q*) hujusce febris ingressum monuit *Sydenhamius* (*r*). Sequentibus annis cum frequentior occurreret, *Hamiltonii* diligentiam excitavit (*s*). Mutata postmodum morbi facies (*t*) est exanthematis miliariis raro

(*n*) *Samuelis Carl observatio de febre purpurata Act. nat. cur. vol. 7. obs. LVIII.*

(*o*) *Gmelinus de febre miliari §. IX.*

(*p*) *V. Gmelinum l. c. et Weitbrecht de febrili constitutione petechizante Petropoli anno 1735. grassante, Regiomonti 1736. §. V.*

(*q*) *Fantonus* (*Dissert. de febr. miliariis p.* 103.) putat putridas puerperarum febres, quarum meminit Willisius pag. mihi 188. ex genere miliarium fuisse; ideoque ante Sydenhamii observationem miliarium febrem in Angliam venisse; sed nulla memorat Willisius ibi miliaria exanthemata, nec suspicari licet tantum virum, qui maculas notavit, ad pustulas non advertisse; praeterea iis in febribus aderant virium subita prostratio, urinae crassae et rubicundae, cum pulsu debili, quae symptomata peticularis morbi potius sunt. Fuerunt ne peticulares aliquid miasmatis miliarium continentes?

(*r*) *Schedul. monit. de febris novae ingressu.*

(*s*) Hujus auctoris prodiere *tractatus duo*, *quorum prior de praxeos regulis*, *alter de febre miliari Londini* 1710. 8.

(*t*) Ab eo tempore frequentes extiteruut lentae nervosae febres in universa Anglia, quas a miliarium retento veneno produci existimo. Edimburgenses Medici (*essais, et observations de Medecine t. V. p.* 33. *t. IV. p.* 428.) hujusmodi febres saepe commemorant, nullibi miliaria exanthemata. *Clifton Winteringham in commentario suo nosologico.* Eboraci annis 1716. 1720. 1721.

apparentibus; verum anno 1741. Londini iterum caput extulit miliaris febris parum minax, sed maxime maligna cum pulsu vix mutato, et determinatione ad delirium, et somnum, ut ex ipsa blanditia periculum augeretur (*u*).

16. In Galliae provinciis alicubi etiam se obtulit miliaris morbus. Hujus procul dubio naturae fuit febris, quae circa annum 1735. mensibus majo, et junio pagum *Freneuse* (*x*) vehementer afflixit (*y*). * *Argentoratum*, ejusque viciniam anno 1734. 1735. infestavit purpura alba, quae ab aliquot annis puerperas aliquando cor-

febres nervosas adfuiſse narrat. *Huxhamius* de lentis nervosis febribus peculiariter egit. *Pringle* scribit (*Maladies des armées. Paris* 1755. *tom.* 2. *pag.* 134.) novam *Sydenhamii* febrem post Sydenhamium Londini visam non esse epidemice vexantem.

(*u*) *Barker Observations on the present epidemical ſeaver Lond.* 1741. 8. *ex Hallero meth. st. med. p.* 1096.

(*x*) *Freneuse* in insula Franciae a Medunta vulgo *Mantes* duabus leucis distat.

(*y*) *Quesnay l' art de guerir par la saignée à Paris* 1736. *p.* 346. Auctor exponit febrem epidemice saevientem, qua prehensi statim sudore madebant, nonnisi ad morbi finem cessaturo. Secundo, aut tertio die erumpebant exanthemata sero aqueo plena, granis milii figura, magnitudine, et colore similia; calor cutis mordax, maximusque in iis, qui perituri essent, excitabatur, quo tempore post inquietudines, delirio accedente, convulsi moriebantur etc.

ripiebat (z). In urbe Aureliani * graves cum vigerent tertianae duplices continuae, eas purpurae albae exanthemata aliquando comitabantur (*a*), quae septembri mensi graviora fuerunt. * *Pituerii* in Belsia eodem tempore mense majo a D. *Mulcaille* (*b*) observatae fuerunt malignae febres cum miliariis exanthematis, et assiduis sudoribus. D. *Malouin* constitutiones morbosas amplissimae urbis Parisiorum referens miliares febres (*c*) commemorat, verum non videntur ad Germanorum purpuram albam referendae. Miliaris certe febris extitit, quae anno 1741. Rothomagi magnam hominum cladem intulit (*d*), et

(z) *Salzmanni J. Gottofr. historia purpurae miliaris alba Argentoratum, et viciniam ante triennium infestantis. Argentorati* 1736. 4. §. *III.* * Strasbourg.

(*a*) *Mém. de l' Académie des sciences de Paris ann.* 1747. *p.* 337. *D. Duhamel* exponit meteorologicas observationes habitas a D. *Arnault* Aurelianensi Medico. * *Orleans.*

(*b*) Ibidem. * *Pluviers.*

(*c*) *Mém. de l' Acad. ann.* 1747. *p.* 166. Frequentes extiterunt, *inquit*, julio mense anni 1746. febres ardentes cum cutis ruboribus, quae ideo vulgo febres rubrae vocantur. Febres etiam visae sunt cum ad cutem pustularum eruptione, quae idcirco appellantur miliares febres. Infantes potissimum morbus invasit, eosque prae caeteris, qui eodem anno jam morbillos passi fuerant: anno 1748. mense junio praeter erysipelata, et variolas miliares febres viguerunt; anno 1752. febres putridas observavit, quas pustulae, aut maculae rubrae sequebantur. V. *Mém. de l' Acad. des Scienc. ann.* 1749. 1753.

(*d*) *Pinard Dissertation sur la fievre miliaire maligne. Rouen* 1747. 8.

in Normandia minime rara nunc est. (1).

17. Montis Bellicardi Principatum epidemice, et graviter primum invasit hic morbus anno 1712. (*e*). Basileenses in Helvetia Cives aggressum fuisse paullo ante annum 1733. (*f*) per literas mihi significavit *Rudolphus Zwingerus* (*g*) Medicinae primarius Professor in Universitate Basi-

(*e*) *Acta Helvetica vol. 2. p.* 76. Epidemiam hanc scripsit olim *Binningerus* Medicus Serenissimi Principis Montis Bellicardi. Opus hoc posthumum, et desideratum vulgavit Auctoris Nepos D. *Berdot.*

(*f*) *Basileae anno* 1733. *prodiit statim Disputatio Mich. Brodhaag de purpura alba morbo apud nos incognito.*

(*g*) Malum sine causa incepisse, sequiori sexu, et praesertim puerperis primum frequentius advenisse scripsit, deinde juvenes, et viros, paullo etiam seniores correptos fuisse. Primis ab exortu annis gravius, et frequentius, sequentibus annis paullo mitius evasisse.

---

(1) In universa Gallia ab eo tempore frequentius accidere miliaria exanthemata; sed ea saepius pleuritidi, febribus putridis, et peticularibus aut adjunguntur, aut superveniunt, et raro essentialem, simplicemque morbum constituunt. Legantur ea, quae scripserunt Cl. viri *Gastellier* (*essai sur la fievre miliaire Paris* 1773., *et traité sur la fievre mil. epid. Paris* 1784.) *Varnier* (*Soc. R. de Med. de Paris tom. III.*) *Geoffroy* (*Soc. R. de Paris tom. III.*) *Aufavre* (*Soc. R. de Paris tom. III.*) *de Briende* (*Soc. R. de Paris tom. V.*) *Bouteille* (*Journal de Roux* 1751.) *du Breste* (*Vandermonde Recueil tom. IV.*) *Bonté* (*Vandermonde Recueil tom. VI.*) *Tessier* (*Soc. R. de Paris tom. II.*) *Barailon* (*Soc. R. de Paris tom. II.*) *Chambon de Montaux* (*maladies des fem. en couche. Paris* 1784., *et traité de la fievre maligne*, *etc. Paris* 1787.) *Planchon* (*Roux Journ. de Méd. vol.* 33.). Aliique plures. Consulat lector *le Journal de Médecine de Paris.*

leensi. Tiguri non ignotae sunt (*h*). Scaphusii primum hujus morbi exemplum triginta, et amplius abhinc annis visum est. Usque ad annum 1750. raro admodum adveniebat. Eo anno paullo crebrius non puerperas modo, sed et viros corripuit. Variolas anno 1752. saepe miliaris morbus sequebatur. Annis 1753. 1754. funestus indiscriminatim morbus fuit. Sequentibus annis rarius advenit. Hanc historiam mihi communicavit doctus, et praecl. Medicus Scaphuso *Helvetus Joh. Conradus Ammannus*. Bernenses etiam purpuram albam habent, sed ea perraro accidit, solasque pene puerperas, quae graviter in partu laborarunt, corripit (*i*). Mulhusii Helvetiorum aliquando, sed raro occurrisse febrem miliarem scio ex literis *Joh. Hoferi* Medici, et naturalis historiae cultoris strenui. Genevenses Medicos hac de re interpellari cum curassem, mihi responsum est, a triginta circiter annis aliquod hujusce febris exemplum occurrere incepisse, sed quindecim abhinc

(*h*) *Laurentii Gruber Dissertatio de febre acuta epidemica exanthemato-dysenterica. Basileae* 1747. §. 11. inter morbos, qui mense aprilis anni 1746. observati fuerunt, etiam recenset purpuram albam.

(*i*) Hanc notitiam debeo celeberrimo, et sapientissimo viro *Alberto ab Haller*, qui etiam mihi notavit Bernensis urbis aërem ex purioribus esse, et saluberrimum.

annis non amplius rarum factum esse. De proxima Sabaudia dicendum nunc esset, sed opportunius videtur morbi originem, et progressum in Pedemontio prosequi, quoniam a Nostratibus morbum habuerint pleraeque regiones, quarum calamitas superest enarranda.

18. Circa annum decimumquintum hujusce seculi in nobili virgine acutam miliarem febrem se primum in hac urbe observasse scribit Cl. *Fantonus* (*l*), verum in oppido Sanbenigni (*m*) ann. 1711. *Thomas Guidetti* (*n*) uxorem suam ex febre mali moris cum miliarium pustularum efflorescentia occubuisse adnotavit ita, ut paullo antiquior epocha (1) originis hu-

(*l*) *De febr. mil. p.* 110.
(*m*) Oppidum ab urbe octavo lapide distans.
(*n*) *Dissertationes phisiologicae, et Medicae Aug. Taurinorum* 1747. 8. *v. p.* 147.--154.

---

(1) Paullo antiquiorem epocham primi hujusce morbi adventus ad annum 1706. referendam esse novis monumentis edoctus affirmo. Primum enim miliaria exanthemata occurrerunt in militibus Brandeburgensibus, qui in subsidium obsessae urbis venerunt. Eae visae sunt prope Pianezza ex relatione D. Gaffini veteris Medici in nosodochio militum. Relatum etiam mihi est a viro omni fide digno D. Venere celebrem Chirurgum Taurinensem suam adhibuisse operam erga duos Centuriones militum Brandeburgensium, qui ex miliari febre eodem anno Augustae Taurinorum perierunt.

jusce morbi apud nos esse videatur. Certum est inter decimumquintum, et vigesimum nobiles aliquot puerperas hoc morbo e vita ereptas fuisse. Qui tunc nobiles puerperas solum adoriebatur, sequentibus annis et vulgaris conditionis mulieres, postea et viros, et denique nullo habito conditionis, sexus, aetatis discrimine quemlibet aggredi ausus est (*o*), eademque ratione perseverat. Primis annis in hac urbe se se continuit morbi seminium, tum ad loca vicina se se diffudit, et sensim non solum universa subalpina haec regio, sed alpes ipsae, et proximi pene omnes populi hanc aegritudinem acceperunt, et pro varia locorum distantia, hominum inter se frequentatione, et coeli conditione citius, aut serius, varioque exitu morbus penetravit. Horum autem omnium historia, quoniam ad morbi indolem detegendam non parum facit, paullo fusius pertractabitur.

19. Cunei anno 1724. puerperae binae, Vercellensis una, Taurinensis altera, mor-

(*o*) Augusta Taurinorum jacet ad Padi, et Duriae minoris confluxum secus editos colles ad orientem positos. Venti, quibus athmospherae vapores dissipentur, rari sunt. Aër autumno, et hyeme nebulosus, semper mollis, et gravis. Aëris temperies varia, nunc austrina, nunc maxime frigida.

bum hunc primum passae sunt. Ex eo tempore non infrequens extitit morbus, anno 1742. (1) epidemicus.

20. Savilianenses (*p*) cives eandem etiam epocham recordantur. Cum frequentes admodum non essent miliares febres, et benigni saepe exitus, anno 1753. majori frequentia, nec adeo mites extiterunt.

21. Aquae Statiellae, * urbs in Monteferrato antiquissima, anno 1726. videre primum in puerpera Taurinensi hanc febrem, quae exinde ad alias puerperas, et homines transiit. Annis 1733. 1734. crebrius occurrens et vicina loca occupavit. Ab anno 1735. ad 1744. paullo rarius incidit. Anno 1744. non solum Aquae Statiellae, sed Nicaea paleae, proximaeque regiones febri miliari peticulis juncta graviter afflictae fuere.

(*p*) Saviliani urbs in ampla planitie sita mollem quidem, sed aequalem aërem habet.

* Acqui.

---

(1) Annis 1774. et 1775. grassatae sunt febres malignae, in quibus peticulis citius, aut serius miliaria exanthemata rubra, aut alba superveniebant. Hanc diserte, et accurate descripsit Petrus Lanteri (*feb. epid. hist. Niceae* 1776. *in* 8.), qui meminit (*pag.* 39.) mulieris, quae cum ex febre peticulari non quidem gravi jam in vado esse videretur, die decimatertia habuit miliarium albarum eruptionem, a quibus sublata est die decimaquinta.

22. Carmaniolae (q) jam ab anno 1728. morbus apparuit, sed neutiquam magna ibi est hujusce morbi frequentia.

23. Bugellae (r) ab eodem tempore, et saevae, et frequentes miliares febres fuerunt.

24. Eporediae * (s) prima morbi seminia in puerperis eodem anno visa sunt, quae deinceps nullam sexus, aetatisve distinctionem fecerunt. Anno 1742. vehementem huic urbi stragem attulere (t) a februario ad julium mensem miliares febres.

25. Circa annum etiam 1728. in urbe Vercellarum (u) se se ostendit, ex quo

(q) Carmaniolae caelum Savilianensi consimile est.
(r) Bugella loco edito sita, ad radices alpium, purum, at propter ventorum, et caloris, frigorisve vicissitudines inaequalem aërem possidet.
* Ivrea.
(s) Eporediae urbem in acclivi loco constructam lambit Duria major; ei superius adjacent lacus pene stagnantis aquae, ex quibus insalubris fieret loci conditio, nisi saepe vehementer flarent venti per longam et angustam Augustae praetoriae vallem spirantes, quibus mala effluvia dissipantur.
(t) Fu t simplex miliaris febris, cum pulsu tenso, et p rum febrili: miliaria exanthemata quarta die erump bant; sexto, aut septimo saepissime lethalia.
(u) V rcellarum civitas jacet in amplissima planitie: mollis aër est, nec valde inaequalis.

tempore frequens continuavit, minus lethalis.

26. Pineroliensibus (*x*) usque ad annum 1730. pepercit: eo puerperas primum, deinde et reliquos sine distinctione cives prehendit, verum nec multum graves, neque frequentes ab illo tempore observantur. Anno solum 1742. cum propter annonae penuriam gentes non paucae se se Pinerolium recepissent, epidemice tunc viguit miliaris febris, quae primum alienigenas aggressa est.

27. Tunc temporis primum inter alpes in pago Viù (*y*) occurrit, ubi sporadice etiam perseverant, neque valde funestae.

28. Fossani anno 1731. primum in masculis juvenibus, deinde in puerperis adnotata est nova haec febris. Annis 1733., et 1742. epidemice viguerunt peticulae, quibus miliaris morbus aliquando junge-

(*x*) Pinerolium in aprico, et acclivi loco procul ab aquis situm, meridiano, et orienti soli expositum de saluberrimo aëre gloriatur.

(*y*) Primus ex alpinis locus est, ad quem purpura alba pervenit; sed animadvertendum Augustam Taurinorum frequentari ab his gentibus, quae lecticarii, cistiferi, et bajuli vinarii operam apud nos praestant.

batur. Nunc etiam quandoque observatur, sed neutiquam crebro intervenit. (1)

29. Niceae (z) circa annum 1732. in Pedemontanae originis puerpera primum exortus morbus est, qui deinde sine distinctione ulla quemlibet adoriri consuevit. Villaefrancae in muliere Villafrancensi anno 1743. se se ostendit numquam antea visa miliaris febris, et militum nosocomia afflixit: anno 1745. frequentior apud incolas: annis 1746.-1751. magis rara: ab anno 1751. iterum saepius occurrit.

30. In oppido * (a) Ripularum anno 1732. primum miliaris febris exemplum in viro se se obtulit: sine ulla conditionis exceptione frequentes ab eo tempore factae sunt, meliores inter initia, graviores postea. Vere saepe occurrunt dirae cum miliariis complicatae pleuritides.

(z) Nicaeense, et Villafrancense coelum prompte, et frequentissime variare mihi significavit *D. Verani* doctus, et praeclarus Medicus.

* Rivoli.

(a) Ripularum oppidum loco edito est ad initium vallis Segusinae, et ventorum omnibus inaequalitatibus patet. Meridianum, et Orientem solem excipit, et calidiusculum idcirco coelum habet.

---

(1) Sat frequens in praesentiarum morbus est, quandoque epidemicus.

31. Aſtae Pompejae malignae miliaris febris exanthemata obſervari coeperunt anno praeter propter 1733.

32. Eo tempore, et Lantii (*b*) pagus primum novae hujus aegritudinis adventum habuit. Annis 1734.-35.-42.-53. epidemice regnavit poſt ſiccitates, et auſtrinas conſtitutiones. Vere frequentes ſunt malignae quaedam pleuritides, quae ſaepe junctam, aut ſupervenientem habent miliarium puſtularum eruptionem.

33. Tridini (*c*) ab anno 1735. minime rarae miliares febres exiſtunt, nec valde exitiales.

34. Auguſtae Praetoriae * (*d*) rariſſime occurrit. Puerperam Taurinenſem anno 1736. adorta eſt miliaris febris: poſtea aliquot alias exteras, et indigenas puerperas; verum maſculino generi usque nunc pepercit. (1)

(*b*) Lantii pagus ad radices alpium in quadam convalle ſitus, caloris, et frigoris magnas habet viciſſitudines.
(*c*) Tridini ſecus Padum poſiti aër eſt potius mollis, et aequalis.
* Aoſta.
(*d*) Auguſtae praetoriae incolae nullam fere habent cum Pedemontanis communicationem.

(1) Maſculos demum etiam corripuit, ſed creber non eſt.

35. Crescentini (*e*) ab anno 1738. apparuerunt, nec infrequentes sunt. Ex vicinis Tridini, et Crescentini loca humida (*f*), et aquosa majorem patiuntur hujusce morbi frequentiam; ex adverso collina longe rarius, sed gravius hoc morbo vexantur.

36. Segusii (*g*), anno itidem 1738., in Taurinensis originis aegris observarunt Medici novam hanc febrem, quae Segusienses inde corripuit. Anno 1753. epidemice, et gravissime non Segusium solum, sed alpinos etiam editiores tractus ea in-

(*e*) Crescentinum etiam secus Padum est, ejusque aër Tridinensem fortasse humiditate superat.

(*f*) Horum locorum habitatores pauco vino utuntur, vino autem indulgent, qui collina loca incolunt.

(*g*) Segusium ad radices editissimarum alpium montis Cenisii jacens in quadam convalle, per amplam, et rectam pene vallem orienti Soli patet. Durae, et pene nudae rupes interim circumstant, quae undequaque radios reflectunt, et colligunt, unde fit, ut, licet inter medias alpes editissimas, praecalidum sit Segusinum coelum, quod etiam ultra confirmant vegetabilia in agro Segusino reperiunda, quae nonnisi locis calidis exoriuntur. E. gr. *Hieracium folio Statices, caule foliato (aut nudo) Tourn. inst.* 470. *Millefolium nobile Trag.* 476. *Anonis pusilla glabra angustifolia lutea Tourn. inst.* 409. *Botrys ambrosioides vulgaris C. B. pin.* 138. *Helianthemum flore albo folio angusto hirsuto J. B.* 2. 16. *Santolina foliis obscure virentibus flore aureo Tourn. inst.* 451. *Anchusa lutea minor C. B. pin.* 255. *etc.* Interim ex summis nivosis jugis repente frigidi saepe venti spirant, magnam aëris inaequalitatem prompte afferentes.

festavit. Frequens, et saepe exitialis purpura alba Segusii observatur.

37. Albae Pompejae (*h*) cum primum occurrisset in nobili Taurinensi muliere, aliquot postea, sed rara exempla successerunt; post annum autem 1742., quo epidemice viguit, frequens, et exitialis perseverat.

38. Anno 1742. peticularum febres grassatae sunt in urbe Montis Regalis (*i*): iisdem quandoque accesserunt etiam miliaris febris exanthemata, quae aliquando nunc etiam contingunt.

39. Clarascum (*k*) attulit eadem epidemia miliarium morbum, qui tamen frequens ea in urbe non est.

40. Cebae Marchionatus tunc temporis

(*h*) Alba Pompeja humili loco est prope flumen Tanari lente fluentis. Septentrioni patet; mollis, gravis, et inaequalis aëris est ibi constitutio; proximi colles viniferi incolas a vini usu nequaquam aversos faciunt.

(*i*) Montisregalis urbs ex saluberrimis est, puro, et perflato loco sita.

(*k*) Clarascum loco non multum frequentato, aliquantisper edito positum est ad Sturae, et Tanari confluxum. Cum haec flumina praeter morem subsident aestivis mensibus, et tertianae, et peticulares vigent febres.

etiam primo vere novam hanc calamitatem persensit, quae ab illo tempore rarius incumbit, solas pene puerperas aliquando afficiens. Garexii, Doliani, aliaque nostrae (*l*) Liguriae loca ab eo tempore miliarem morbum aliquando habuerunt.

41. Braydarum oppido gravissimus extitit idem annus, peticulis, et miliariis maximam hominum stragem facientibus, quarum postremae frequenter et nunc occurrunt.

42. Valentiae (*m*) in Nosocomio militum peticulae, et miliares febres anno 1742. magnam cladem afferebant; tunc migravit ad cives epidemicus morbus, qui prima vice miliarium morbo laborarunt. Similis morbosa constitutio nosocomia militum iterum affecit anno 1755.; sed ab

(*l*) Genuensis Liguria morbum hunc omnino pene ignorat. Genuae rarissimi miliaris febris casus ab aliquot annis observati sunt. (1)

(*m*) Valentiae humidus, et gravis aër est.

(1) Sed clarissimus, et amicissimus vir Joseph Pratolongo celebris Medicus Genuensis miliarem morbum ab eo tempore frequentem factum fuisse, atque saepius cum pleuritide, et rheumatismo acuto complicari, atque nihil prorsus a nostra miliari febre dissimilem esse.

ea cives immunes extiterunt, apud quos rarissime occurrit. Ad vicinatum nondum transiit.

43. Milites Vigevani praesidiarii aliquot abhinc annis aliquando miliariis correpti sunt, quae raro in indigenis observantur (1).

44. Mortariae nondum visae sunt (*n*) miliares febres. Racconixiensem (*o*) mulierem febri miliaris morbi symptomatis stipata correptam absque ulla exanthematum eruptione feliciter sanatam indicavit Pillattonus (*p*).

45. In urbe Casalis identidem in puerperis, praecipue Taurinensibus, miliarium febrium ab aliquot annis exempla conspecta sunt.

46. Alexandriae primum etiam in militibus, deinde et in civibus ab aliquo tempore miliares febres contingunt.

(*n*) Mortariae aër maxime gravis, et humidus.
(*o*) Racconixium conspicuum Pedemontii oppidum.
(*p*) Mortariae Protomedici vices gerens.

---

(1) Postmodum simili ac in Pedemontio frequentia Valentiae, Mortariae, aliisque proximis oppidis miliares febres observatae sunt.

47. Dertonae non ignotae sunt, nec a multo tempore. Primae originis epocham statuere non licet.

48. Qui rarissime ab aliquot annis adnotabatur miliarium morbus in urbe Novariae, anno demum 1755. epidemice apparuit.

49. Priusquam in Italia morbi progressionem persequamur, de Sabaudia dicendum est. Camberii (*q*) triginta, et amplius abhinc annis nova haec febris innotuit, quae familiaris impraesentiarum est, puerperas minime afficiens, neque admodum perniciosa. Annecii, et Thunonii nota est, sicuti etiam Rhumiliati (*r*). Maurianenses eam tenent ab anno 1736.; ibi epidemice grassata est anno 1741.: indiscriminatim quemlibet corripit, puerperis infensior. Autumno, et vere crebrius advenit, nec infrequentes vere sunt pleuritides in miliarem morbum resolutae.

(*q*) Camberium in aëre saluberrimo consistit: mulieres vero minime desidem vitam agunt, cum deambulatu maxime delectentur.

(*r*) Anno 1750. cum Botanices causa Sabaudiam peragrarem, Rhumiliati miliarium febris exempla in sequiori sexu vidi, meminique certiorem tunc factum fuisse solum ab aliquot annis in talem morbum cives incidere.

50. Mediolanenses Medici, hac de re quaesiti quatuor abhinc annis, responderunt exanthematicas hujusmodi febres aliquando et in puerperis (*s*) evenire, sed minime malae indolis esse. Anno 1746. graviter Mediolani conflictatus est Sacerdos quidam Societatis Jesu (*t*), sed ab anno 1757. (*u*) exitialia miliarium exempla aliqua deinceps obtigerunt.

51. In urbe Laudensi * circa annum 1747. Comitissam a Staremberga Germanae originis puerperam, pene sublatam fuisse ex hac febri mihi indicavit D. *Moscati* (*x*). In hujus autem urbis viciniis, proxime elapso autumno, nobilem virum eodem ex morbo periisse intelligo ex literis, quas mihi dedit Praecl. *Paulus Valcarenghi* Primarius in Universitate Ticinensi Medicinae Professor.

(*s*) Bartholomaeus Curtius celebris olim Medicus Mediolanensis triginta abhinc annis ad Fantonum scripsit se aliquando vidisse puerperas ex febre continua graviter laborantes cum exanthematis miliaceis; nullam vero, quantum ipse meminisset, e vita ereptam fuisse. V. *Fanton.* p. 95.

(*t*) Admodum nempe Reverendus P. *Orrigoni*, qui ex Pedemontio, ubi commoratus erat, Mediolanum concesserat.

(*u*) Animadvertatur Mediolano proximam Novariam esse, et hac in urbe anno 1755. epidemice morbum miliarium viguisse.

* Lodi.

(*x*) Mediolani chirurgiae Professor.

52. Majori frequentia, et saevitia Mantuae ab annis aliquot (1) vagantur. Placentiae, et Mutinae (2) rarum aliquod exemplum visum scio. Cremona (*a*) (3) morbum nondum accepit.

53. Bononienses hanc calamitatem ignorant. Exanthematicae quidem miliares eruptiones interdum in puerperis obveniunt, sed minime graves. Periculosissima hujusce generis febris visa semel est in homine Taurinensi (*b*) (4).

(*a*) Ita certiorem me facit praecl. Paulus *Valcarenghi.*

(*b*) Ex literis id scio amicissimi, et praeclar. Viri *Ferdinandi Bassii*, qui diligenter hac de re Bononienses Medicos sciscitatus est.

---

(1) Felix *Asti* celebris Medicus Mantuanus (*Targioni Raccolta d' opusc. VIII.* 83.) narrat post annum trigesimumtertium hujusce seculi Mantuae primum visa fuisse miliaria exanthemata in puerperis, deinde tractu temporis morbum transiisse ad reliquos homines, nullo habito discrimine, veteranis Medicis ignotum, qui primum novum hunc morbum negarunt, sed a frequentibus exemplis, diligentique observatione denique invisum adhuc, propriumque morbum esse concesserunt. Idem cl. vir. (*loc. cit. p.* 97.) innuit miliarem febrem primis temporibus maxime funestam extitisse, nunc epidemicam, nunc sporadicam, deinde mitiorem fuisse sequentibus annis, atque in epistolis ad me datis significavit nostris temporibus longe minus gravem esse, et rarius occurrere.

(2) Post adventum nostrorum militum Mutinae hic morbus videri coepit, et perseverat: ejusdem indolem diligenti, doctaque dissertatione exposuit cl. Baraldi.

(3) Sensim etiam ad Cremonenses haec febris transiit.

(4) Aliquot postea exempla miliaris febris extiterunt, sed

54. Benignas hujusmodi exanthematicas miliares febres jamdudum notas Etruscis (1) esse, et rarissime periculum ab iis ullum allatum fuisse mihi indicavit *Xaverius Manetti* celeb. in horto Florentino Botanices Professor.

55. Ariminenses a gravi nostra miliari febre immunes usque nunc esse Cl. *J. Bianchi* (*c*) in literis pluries mandavit. Eadem fortuna non potiuntur Veronenses, quibus a pluribus annis, puerperis praecipue, miliarium febrem interdum accidere accipio ex epistolis *Caesaris Moreni* (*d*), et observationibus *J. della Bona* (*e*).

56. Venetiarum urbs pene omnino immunis est (*f*). In agro Neapolitano, in

(*c*) *J. Bianchi* Primarius Medicus Ariminensis, olim in Senensi Universitate Anatomes Professor.

(*d*) *Julius Caesar Moreni* Botanices, et Naturalis Historiae apprime gnarus Veronae pharmaceuticam exercet.

(*e*) *Joh. della Bona* Medicus Veronensis purpuram albam Germanorum se bis observasse meminit. V. ejusdem *L'uso, ed abuso del caffè. in Verona* 1761. *p.* 21.

(*f*) A praecl. Veneto Medico *Arcadio Capello* duo tantum usque nunc observati sunt miliaris febris casus.

ea frequentia non sunt. Trigintaquinque circiter abhinc annis Bononiae purpuram albam miliarem, quae quinta morbi die robustum juvenem sustulit, per literas mihi significavit praestantissimus *Caldani*.

(1) *Targioni* (*Relaz. delle feb. epid.* 1767. *in* 4.) nostra miliaria exanthemata, eaque pessimae indolis visa fuisse

Hispania, necnon Sardinia (1), et urbe Romae (g) nondum, quod sciam, seu exteri, seu incolae hanc aegritudinem persenserunt. Faxit Deus, ut morbus majora non capiat incrementa.

57. Constat itaque morbum, qui Lipsiae primum apparuit (§. 2.) ad proximas, remotas, nostrasve regiones longo annorum circuitu penetrasse; iis, quibus frequentior erat cum morbum jam habentibus agendi familiaritas, citius morbo prehensis (*h*).

(*g*) Romae, et in Sardinia Pedemontani non pauci vivunt; nemo adhuc hoc morbo, quod sciam, fuit prehensus.

(*h*) Haec maxime apparent in nostra regione, cum apud Sabaudos (49), Nicienses (29), Savilianenses (20), Cuneenses (19), etc., qui cum Taurinensibus majus commercium habent, citius morbum communem factum fuisse videamus; serius autem, et rarius occurrat in Monteferrato, praecipue superiori (45), Liguria (40), etc.

---

in juvene Mantuano, tunc temporis apparuisse in Etruscis.

(1) Sciscitatus diligenter sum num posterioribus annis miliarium morbus Sardiniam afflixerit; responsa docuerunt in Pedemontanis Sardiniae commorantibus visum identidem fuisse miliarem morbum; minime autem in indigenis, atque exteris non Pedemontanis, atque in nosodochiis militum, licet in eadem domo existerent: tantummodo apparuisse haec exanthemata in militibus Pedemontanis, non autem in iis, qui alterius nationis essent.

58. Morbi vero contagiosa miasmata non ab aëre simpliciter, sed ab iis, qui in morbosa regione venenum contraxerant, (§. 8. 9. 12. 21. 29. 34. etc.) ad alia loca translatum fuisse.

59. Sporadice (1) plerumque, et puerperas saepius primum, deinde et masculos corripuisse: loca vero, quae semel occupavit, ex integro fere nunquam (*i*) di-

(*i*) Lipsienses, Berolinenses, Suevi, Helveti, Pedemontani etc. hanc sortem patiuntur (2).

---

(1) Licet vere sporadicus morbus sit, tamen et non raro epidemicus est occasione febrium praesertim peticularium, aut catarrhalium, quae epidemice vagentur. Hujusmodi epidemiae non modo in Pedemontio, sed pluribus aliis locis apud exteras nationes visae sunt. Morbus interdum non complicatus (quod rarum admodum est) epidemicus contigit: puto nimirum ex tempestatum conditione cohibitum intra corpus, et accumulatum miasma fuisse, deinde alterius mutationis actione explicitum, et in motum actum, atque observavi, rigente dudum hyemali frigore, hunc morbum siluisse, qui per succedentem austrinam constitutionem deinde explicitus est, et plures uno, eodemque tempore corripuit.

(2) Vindobonae saepius etiam post annum 1758., quo prodiit mea tractatio, plures graves auctores Vindobonenses miliaria exanthemata observarunt, et contra Haenium, qui eas negabat, et si quando occurrerent, symptomaticum, et factitium morbum esse contendebat, innumeris observationibus, et frequentem, et sui generis essentialem morbum esse palam, et publice scriptis declararunt: qui hac super re certior esse cupit, legat quae evolvant scripta clarissimorum virorum Molinari, Collin, Stoerch, Quarin, Stoll, Kirkvoegel, etc.

misisse; per aliquot annos solum aliquando siluisse.

60. Nisi alia jungatur causa, in aëre humido, et inaequali, aut solum valde inaequali frequentiorem, in aëre puro, et aequali rariorem, humido vero, et aequali, nisi alia accedat caussa, mitiorem esse: coelum vero calidius huic morbo non favere (56).

61. Frequentius corripit homines otio deditos, et parum exercitatos, in pueris (*k*), et senibus (1) rarior. Aggreditur juvenes cujusvis temperamenti, sed prae caeteris sanguinea constitutione praeditos. Vere frequentior; minus frequens au-

(*k*) Vidi duobus abhinc annis filiolum annotinum hoc morbo correptum, cujus mater ex morbo miliari superstites convulsionum molestias patiebatur, nova dein pustularum eruptione solutas eo tempore, quo filium utero gessit.

(1) Propter humorum densitatem, et cutis duritiem raro in senibus haec exanthemata efflorescunt, sed ab hoc miasmate, cujus existentiam propria signa demonstrant, commoto, et agente lethalis peripneumonia solet inferri sine exanthematum expulsione, aut cum paucarum pustularum miliarium in pectore apparitione celeriter disparentium. Interdum diuturna quotidiana irregularis febris gignitur, quae denique convulsionibus pectus primum, deinde et cerebrum concutientibus hominem perdit.

tumno; rarius advenit aestate (1), et summa hyeme.

62. Minime verum esse reperio, sicuti *Hamiltonius*, aliique tradiderunt, imbecillam corporis constitutionem (*l*), et ab evacuationibus fractam magis huic morbo patere. Ex puerperis indiscriminatim prehendit tum illas, quibus partus facilis extitit, cum eas, quae in eodem maxime laborarunt (*m*).

63. Alpinos tractus, et humilia loca inhabitantes afficit. Qui vino abstinent, et utuntur; nobiles euchimis, variisque cibis, rusticique aqua, et secalino pene solum pane nutriti; homines coffeè abutentes, aut minime; omnes hujusce morbi tyrannidi subjacent.

(*l*) Si sermo sit de lentis nervosis febribus, iis ego facile assentior, qui putant imbecillos, et lymphaticos facilius iisdem vexari.

(*m*) Gravius quidem hae laborant, utero facile postea inflammatione correpto.

---

(1) Quandoque advenit aestate miliarium morbus, minus autem est periculosus. Si enim miliarium miasmatis magna copia non adsit, adeo pacate exeunt exanthemata, ut pro sudaminibus haberi possint. Fieri etiam potest, ut per liberam perspirationem receptae miasmatis particulae sine incommodo difflentur; sic videmus hanc calamitatem calidis, et australibus regionibus parcere, neque in iis, licet ad eas etiam per advenas translatum, hospitari.

64. Suppressa perspiratio, eaque neglecta, longa moestitia, ira vehemens hujus febris frequentes causae occasionales sunt. Austrina autem, diuturna, ac inaequalis constitutio, hyeme praecipue eveniens, miliarium morbum producit quandoque epidemicum (*n*). Hisce causis addi possunt puerperium, placentae violenta eductio, in febribus calefacientium abusus (1), aliaque id genus, quibus venenum ad agendum excitatur, aut ea mutatio inducitur in corpore, propter quam agit.

(*n*) Cum aestas anni 1733. fuisset praecalida, et sicca; idemque autumnus, et hyems etiam praeter morem tepida extitisset, anno 1734. Augustam Taurinorum, et pene totum Pedemontium affecit vehementissima epidemia miliarium, et peticularum. Eamdem temporis constitutionem, eo anno, gentibus in celsissimo alpium Bavariae jugo viventibus invisam adhuc miliarem febrem attulisse narrat *Joseph Grunwald* (*l. c.*).

(1) Quamquam aegris sub regimine frigido levium stragulorum operimento, imo extra lectum data opera detentis etiam miliaria exanthemata sponte superveniant, non probamus tamen calefacientium usum in febribus, nisi complicati morbi natura, aegrique positio eadem requirat. Non quidem putamus eorum actione gigni posse illud miasma, quod morbum facit, sed vitiosam materiam, quae innocua etiam ultra persistere posset ad cutim urgeri, atque ad agendum excitari.

CAPUT SECUNDUM.

MORBI NOMENCLATURA.

65. Quae nobis febris miliaris, aut miliarium morbus audit, variis nominibus apud auctores occurrit. Plerique Germanorum purpuram albam dixerunt; ab aliis vocata fuit purpura puerperarum, febris puerperarum mali moris, febris purpurata, purpura, purpura maligna, purpura miliaris, febris maligna cum exanthematis miliaris, febris miliaris, morbus miliaris, et febris vescicularis. Nomine *Der Friesel* apud Lipsienses venit, Gallis dicitur *Pourpre blanc*, Nostratibus *Miarola*. Horum nominum explicationi de purpurae vocabulo nonnulla praemittam.

66. Purpurae nomen ex Graeco πορφύρα deductum (*o*) Latini ad testaceum, quod purpureum colorem praebet, significandum adhibuerunt. Hoc nomine postea a purpureis maculis morbum, quem peticu-

(o) *V. Joh. Daniel major. adnotationes ad librum de purpura Fabii Columnae. Kiliae* 1675. *pag.* 12.

las Itali dixerunt, Gallos secuti Medici purpuram appellarunt. Purpurae autem vox paullatim extensa fuit ad alios etiam morbos, in quibus aut maculae, aut pustulae, papulaeve rubentes in cute apparerent ita, ut quicumque pene morbus, in quo cutis ruberet, purpura fuerit appellatus.

67. Insolita idcirco haec febris cum prodiit, purpura etiam dicta fuit; eaque, ut ab aliis distingueretur, eo quod peculiariter puerperas corriperet, puerperarum purpura; ab exanthematis milii granorum aemulis miliaris, ab exanthematum, quae saepissime minutas vesiculas exhibent, forma, vesicularis vocata est. Simpliciter etiam purpura nostro seculo ab aliquibus dicitur, purpurae nomine ad peticularum morbum indicandum pene exoleto. Morbum potius, quam febrem miliarem vocari vult *Petrus Gerike* (*p*), eo quod putet sine febre esse posse, unoque morbi miliaris nomine et vulgarem purpuram rubram, et Lipsiensium febrem velit comprehendere. Vocabulum *Der Friesel* alii a voce *Friess*, quae pannum asperum, et nodosum significat, cujus aspe-

(*p*) *Tractatus de febre miliari* 1711. *cap.* 1.

ritatem cutis in hoc morbo aemulatur; alii a voce *Frieſſen* frigere, eo quod saepius cum frigore invadat (*q*), deducunt.

68. Dummodo de morbo constet, et vocum diversitas nullam faciat ambiguitatem, quodlibet nomen per nos licet. Videtur autem potius (*r*) miliarium morbus vocandus.

69. Hoc nomine intelligimus morbum cum febre conjunctum (*s*), in quo fere semper (*t*) exanthemata ad cutem occurrunt,

(*q*) *Langius in disput.* 44. *valetudinarium puerperarum* postremam hanc; *et prax. Med. cap. XIII. de febribus* §. 9. *de purpura* primam significationem dat. V. etiam *Gmelinum* §. xvi.

(*r*) Plerique morbi exanthematici proprium nacti sunt nomen: ex. gr. dicuntur *Variolae*, *Morbilli*, *Peticulae* etc. Eodem exemplo morbus hic miliarium simpliciter nomine distingui poterit; sicuti enim in variolis, non febris, sed exanthematum, et morbi natura est consideranda.

(*s*) Nunquam vidi sine febre hanc aegritudinem (1); cum levi febre etiam exitiale occurrit.

(*t*) Rarum apud nos est, ut febris ex sua natura miliaris sibi relicta exanthemata non producat. Frequentius id in Anglia contingere video.

---

(1) Interdum evenit in morbo complicato, et exiguam habente miasmatis conjuncti copiam, ut soluto morbo complicato, sive potius praecipuo, paucae miliares pustulae efflorescant, nulla amplius superstite febre. Non infrequenter etiam contingit, ut in iis, qui gravi miliari morbo evaserunt, cum jam febre immunes aegri facti sint, continuo pergant

sive minutae pustulae, quae cito in vesiculas sero plenas evadunt, a miasmate productae; quod maximam habet ad nerveas fibrillas convellendas aptitudinem.

erumpere miliares vesiculae prioribus simillimae, sed sine febre iis incaute repercussis, morbum post aliquod tempus reproductum fuisse observavi. *Déplaignes* (*Journ. de med. décemb.* 1786. *pag.* 429.) grassantibus contagiosis malignis miliariis febribus benignas, et sine febre similes eruptiones intercurrere adnotavit.

CAPUT TERTIUM.

MORBI DISTINCTIONES.

70. Celebris, et antiqua est purpurae divisio in albam, et rubram. Alba etiam distinguitur in albam, et pellucidam. Nullius momenti est albam a pellucida separare; quae enim exanthemata primum pellucida fuerunt, crassiore reddito sero, alba fiunt, quod olim vidit *Hamiltonius*. Neque magis interest miliaria exanthemata rubra ne, an alba sint. Utraque aeque periculosa; imo ex mea observatione rubra minuta pellucidis de-

teriora sunt. Praeterea, uti etiam recte observat *Gmelinus* (*u*), pustulae, cum primum elevantur, rubrae; tum postea pellucidae cum basi rubra; et denique pellucidae, albaeve fiunt. Apud plurimos interea Scriptores passim reperitur purpuram dividi in rubram, et albam, quae etiam gravis, et maligna dicitur, cum illa benigna audiat. Verum hi mihi videntur ultra limites miliarium morbi purpurae nomen extendere, et purpurae (*x*) rubrae vocabulo plures alias dissimiles, neutiquam sua natura graves, cutis eruptiones comprehendere. Licet enim cum bono (*y*) exitu, et sine gravi

(*u*) §. 12.

(*x*) Jamdiu nota sunt exanthemata et rubra, et alba, quae Graeci *hidroa*, Latini *sudamina* dixerunt. Pueris, foeminis, et biliosis hominibus praecipue adveniunt saepe sine febre, aliquando cum febre, iisque praecipue scorbutici homines afficiuntur. A Gallis, atque Nostratibus *Ebullition de sang*, ab Anglis *a rash*, a plerisque Germanis Medicis *purpura rubra* appellatur; sed aliae etiam cutis affectiones, uti sunt *Rubeola*, *Scarlatina febris* etc., purpura rubra dictae sunt. Horum omnium exanthematum inter se differentia suo loco dabitur.

(*y*) Uratislavienses (*const. epidem.* 1700. *p.* 334.) purpuram albam describunt minime lethalem, cujus pustulae quarto die erumpebant, 7. valetudine reddita. Hujuscemodi casus apud nos rarissimi sunt. Idem et aliis etiam in morbis occurrere videmus. Variolae e. gr. mitissime cursum suum absolvunt interdum; nihilo secius inter morbos sua natura graves referuntur. Symptomatum natura, et comitatus morbum definire debet, et certum est in mi-

incommodo quandoque cursum suum absolvat, periculosa tamen semper est miliaris febris. Periculum autem pendet a convulsionibus, citissime sequentibus disparentia exantemata, quod huic pustularum generi prae reliquis proprium, et peculiare est.

71. In simplicem, et complexam distinguit purpuram *Hamiltonius* (l. c.), simplicem eam dicens, quae albas; complexam, quae rubras albis immixtas pustulas exhibet. *Petrus Gerike* morbum miliarem dividit in idiopaticum, symptomaticum, et complexum (1). Quando

liari mitissimo morbo, si pustulae retrocedant, aegros cito graviter periclitari.

---

(1) Aliis clarissimis viris placuit distinguere miliarium morbum in idiopaticum, et secundarium; in essentialem, et symptomaticum; in criticum, et non criticum; hasce divisiones non attulimus, quum putemus miliaria exanthemata nullatenus haberi posse pro alterius morbi symptomate; et instar variolarum, ac morbillorum suae naturae morbum constituere. Hac posita opinione diremta mihi videtur quaestio, num haec exanthemata critice, aut non critice erumpant. Certum enim est nonnulla mala, eaque gravissima, ab hoc miasmate intus lacessente producta unice per expulsionem superari, atque sicuti etiam evenit variolis, morbillis, etc. ex miasmatis copia, atque ex variis circumstantiis morbum, qui alia occasione critice solutus fuisset, ineluctabili fato mortiferum evadere.

Minime vero nunc temporis praetermittam divisionem in essentialem, et factitium, quae maximi

nempe morbus alter miliarem comitatur, complexus; si alteri morbo miliaria exanthemata superveniant, symptomaticus; si neutrum adsit, idiopaticus est. *Hamiltonii* distinctionem non posse consistere patet

momenti est; a quibusdam enim, Haënio duce, et praecone miliarium morbus habitus est pro factitio; hi nempe dixerunt corruptas, atque biliosas praesertim particulas a primis viis resorptas, atque per callidum regimen ad minima vasa cutis impulsas, exanthemata haec gignere eadem fere ratione, ac aestivis mensibus a simili materia caloris tempestate ad cutim delata sudamina in plurimis, maximeque in pueris, et foeminis, sicuti jam adnotavit Hippocrates, efflorescunt ita, ut malos eventus in quibusdam febribus evenientes, quos alii miliarium veneno tribuunt, ii callido regimini adscribant, unde per acutae febris incrementum homo intereat. Sed hanc doctrinam satis refellunt novitas morbi a Welschio, Sydenhamio, Berolinensibus Medicis, aliisque auctoribus, qui primam morbi epocham in sua regione adnotarunt, ut omittam ea plura, quae ipse diligenter collegi, et quod ad Galliam pertinet, enarrat *Journal de médecine ann.* 1786. *et* 1787.; morbi proprium curriculum, et miliarium adventus sub regimine frigido, et usu acidorum attemperantium; nulla vero exanthematum apparitio sub regimine callido apud Helvetos, observante *Hallero*, nisi sub constitutione epidemica; ultra vero non persequar hoc argumentum, cum data opera jam demonstratum sit miliarium morbum sui generis exanthematicum, et proprium morbum esse, etiam a Vindobonensibus Medicis, inter Italos a Burserio, aliisque plurimis Anglis, Batavis, et Gallis. Quum Medici Parisienses distracti in duas opiniones essent, aliis essentialem, aliis factitium morbum dicentibus, societas Regia Parisiensis praemium proposuit ad definiendam quaestionem; praemium autem decretum fuit Cl. *Aufavre*, qui comprobavit, collectis observationibus, et disquisitionibus, mor-

ex dictis (§ 70.); quod ad alteram Cl. *Gerike* spectat, mihi opportunius videtur eum dividere in simplicissimum, simplicem (1), et complicatum. Simplicissimus ille est, in quo, si febrim excipias, absque ullo alio morbo miliaria exanthemata adveniunt; simplex ille, in quo sub specie alterius morbi primam periodum percurrit, quin alius revera morbus adjungatur; hic si adsit, complicatus erit.

bum sui generis essentialem esse (Vid. *Soc. R. ann.* 1780.-81.). Interim, et in regionibus, quas haec calamitas afficit, reperiuntur Medici, quibus miliaria exanthemata videndi occasio nunquam se offert, sive eo quod pro sudaminibus habeant, sive quod minus diligenter cutim inspiciant. Memini, inquit *Burserius* tom. II. pag. 542.: *hinc fortasse evenit, ut miliaris morbus in quibusdam locis serius cognosci coeperit. Adde interdum miliaria adeo exigua esse, et cutis colorem non alterantia, et crystallina, ut nisi transversim spectata, et luci obversa, oculis detegi possint. Qui igitur negligenter inspexerit, eum facile effugiunt. Memini me in urbem quamdam ingressum esse, in qua miliaris ignota prorsus, et nunquam ibi visa dicebatur. Dum ibi aliquandiu mansissem, in aegros incidi, in quibus ex consuetis signis miliarem morbum praedixi, et reapse paullo post miliaris eruptio contigit. Ab eo tempore miliaria exanthemata et in foeminis, et in maribus tam sporadica, quam epidemica non defuerunt diligentioribus Medicis. Hanc ipsam caussam, quo minus maturius alicubi visa sint, accusare videntur Gastellerius etjam, et Planchonus nuperrimi inter Gallos de miliari morbo scriptores.*

Quamvis autem impraesentiarum extra dubium sit morbum esse sui generis, et essentialem; interdum artis ope sine exanthematum apparitione superari morbus potest, aut utiliter in opportunius tempus distrahi, sicuti suo loco dicemus.

(1) Cl. *Burserius* vocat larvatum.

Simplicissimum a simplici juvat secernere, propterea quod ex primi consideratione miliaris morbi natura magis elucescat. Multum interest etiam scire, num sit simplex, aut complicatus, hoc est, num symptomata, et effectus pendeant ex solo miliarium miasmate, vel ab altera adjuncta morbosa causa. Fateor quidem limites inter simplicissimum, simplicem, et complicatum non ita facile semper definiri posse, et consistere, cum facilis sit simplicissimi in simplicem, et hujus in complicati nonnullas species mutatio; et variarum causarum ad eundem effectum vis, et potentia fucum facere possit. Quum caeteris interim commodior, et utilior videatur, hanc sequemur divisionem, primum visuri, quid in simplicissimo contingat.

CAPUT QUARTUM

DIAGNOSIS MORBI SIMPLICISSIMI.

I. Ante Expulsionem.

72. Morbus interdum incipit ab horrore, quem a naturali vix differens calor sequitur sine membrorum defatigatione. Caput vix dolet, febris quam maxime lenis cum pulsu tamen tenso, duriusculo, et aliquantulum contracto (z). Urina sanorum similis (1); nullus dolor ab aegro persentitur; non sitit; appetit: sed importuni sudoris impetus fastidit.

(z) Non pauci Auctores statuunt in morbo miliari pulsus imbecillitatem; pace horum virorum dicam me quam maxime vereri, ne ipsi dicant imbecillum, qui solum contractus est. Validius nempe, quam par est, arteria contrahitur, et efficit pulsum minoris quidem diametri, sed neutiquam imbecillum, sicuti ex statu virium, ex compressione pulsus, qui saepe durus est, judicari potest.

(1) Si succutiatur matula, ut urina in gyrum moveatur, tenuissima fila in urina obvolitare, aut tenuissimae laminae observantur ita, ut horum corpusculorum praesentiam pro signo habeam existentis in corpore miliarium miasmatis.

73. Altera plerumque die cum paullo celeriori pulsu decolorari incipit urina. Accedunt metus, et tristitia sine caussa, ad cordis scrobiculum molesta quaedam compressio suspiria cogens, aurium tinnitus cum auditu acutiore, inquietudines, subitanei involuntarii motus, sensus in digitis stuporis cujusdam pungitivi *granf* nomine noti. Somnus interrumpitur spectris, quae non sine corporis, et animi commotione aegrum expergefaciunt. Sudores cum pulsu magis contracto, acidum (1) olentes, assidui erumpunt.

74. Tertio interim, aut quarto die, raro serius, post vehementes sudoris impetus, et alternas aliquando cujusdam horroris, calorisque vicissitudines, praecedentibus saepius puncturis, interdum aliquo pruritu, in collo primum, et pectore, et dorso, deinde in brachiis, abdomine etc., raro in facie efflorescunt rubrae, aut albentes minutae pustulae.

(1) In simplicissimo morbo acidum tantummodo olere solent sudores, interdum non absimile ab eo, quod exhalat ex diffuso fortis aceti vapore. Si jamdudum existens in ipsa cute venenum in humoribus corruptionem aliquam produxerit, aut aliqua etiam adjuncta sit peticularum miasmatis portio, tunc gravis veluti cadaverosus, et ex lixivio corrupto genitus odor, praeter acidum, persentitur.

II. Post Expulsionem.

Si optime vertat.

75. Hae pustulae cito grandescunt, et limpido sero replentur cum aliqua cutis inflammatione, quae plenior, et tumefacta persentitur. Praecipua absoluta expulsione (aliquae enim pustulae lento gressu caeteras sequuntur), quod intra triginta horas evenit, convulsiva symptomata (73) mitescunt, et disparent. Sudor minus intensus, sed perseverat. Urinae sensim iterum colorem inducunt. Septima die, molli, et aequali reddito pulsu, exanthemata exsiccantur, et squamatim cuticula decidit. Rarissimus est tam bonus apud nos morbi hujus exitus; aliud subest nostris aegris curriculum et periculosum, et longe gravius peragendum.

Cum aeger valde periclitatur.

76. Post expulsionem persistunt, et crescunt symptomata (73): febris augetur cum celeri, et contracto pulsu, et circa meridiem, ac nocturnis horis evidentia capit incrementa. Urinae multae, tenues, et aqueae, lingua albida, quae dein arescit. Noctes vigiles, aut ex ter-

rificis somniis graves cum molesta internae distensionis ad caput sensatione. Facies plenior evadit. Calet, et inflammatur cutis. Sudores imminuuntur. Tertio plerumque expulsionis die graviora omnia fiunt; febris vehemens ardenti omnino similis urget cum pulsu duro, et celeri: tendines subsiliunt; sudores evanescunt; pustulae subsident; calor urens brevi accenditur; cutis scabra fit; urinarum aquearum ingens mingitur copia: inquieti, valde sitibundi, morosi, queruli, vix lecto propter inquietudinem, et calorem summum continendi, loquaces undique se jactant; deinde deliri convulsionibus etiam corripiuntur. Alvus alias plerumque dura egerit hoc tempore biliosa foetidissima.

77. Post tantam morbi saevitiem, quae paucarum horarum spatio plerumque exercetur, aliquo redeunte sudore, et sublatis iterum pustulis recensita (76) mitescunt. Copiosiora efflorescunt sequenti die exanthemata, majoraque fiunt; iis, quae primo eruperunt, deinde exsiccari incipientibus. Verum secunda exanthemata tertio suae expulsionis die similes (76) turbas, sed mitiores excitant; tertiaque advenient, quartave etc., donec is, quem (§. 75.) adnotavimus, status nascatur.

Alvus in hoc morbi stadio cum magnis borborigmis liquida, et biliosa foetidissima dejicere perseverat. Urina interdum (*a*) prodit albescens, tanquam serum lactis, subsidentiam non habens, et ardens.

78. Salus ordinario non redit, nisi post decimumquartum diem, aut vigesimum. Per cohortes, et manipulos incerta die, ac hora fit hujusce exanthematis expulsio. Incerto etiam momento, ex causa sive externa, sive interna, si deprimantur pustulae, dimidiae horae spatio status (76) accedere potest: praecipua ea propter phoenomena assignari quidem possunt, sed nequaquam eorum adveniendi tempus, et progrediendi ratio definiri.

79. Hinc patet dies graviores incerto etiam ordine advenire. Plerumque ante expulsionem pares; post expulsionem impares deteriores sunt. Tertia dies plerumque mitis: quarta gravis esse solet.

(*a*) In iis, quibus lympha inest viscido-salina, eodem etiam tempore salivae salsae persentiuntur.

Si malum exitum prompte morbus habeat.

80. Statui (76) adjunguntur pessima delirii, et convulsionum symptomata. Inquieti, de omni positione queruli undique se jactant. Torvo, et defixo obtutu objecta per caliginem, aut duplicata vident. Loquaces, futilia cum dixerint, se recte aut vidisse, aut allocutos fore summa pertinacia asseverant. Se aegros fore vix concedunt: cum magna, et rara respiratione saepe insufflant. Sunt qui repente sine causa lacrymis, et moerore se conficiant. Ad motum quemlibet plerumque expediti lecto surgere tentant: ingesta vomunt, et in adstantes etiam aliquando expuunt. His accedit potus, cum descendit, strepitus; tunc cito jactationibus in convulsiones transeuntibus, epilepticis vehementibus motibus correpti, stertore adveniente, pulsuque deficiente brevissime suffocantur.

81. Observatio docuit eo promptius malum exitum accedere, quo numerosiores pustulae extiterunt, et praecocius eaedem apparuerunt.

Si morbus diutius trahatur.

82. Si vero viscida lympha venenum retinente, aut propter cutis densitatem, vel magnam cuticulae cum cute cohaesionem exanthemata non bene efflorescant (*b*); sed sub cuticula, aut in cute ipsa subsideant, (quod interdum post retrocedentes (76) pustulas contingit), aliquando diu trahitur morbus, recidivam saepe alio tempore daturus, valetudine lente redeunte; interdum et mors sequitur: sed paullo diversa ratione morbus prosequitur.

Et tamen aeger convalescat.

83. Si itaque non elevatae pustulae, sed levis aliquis solummodo rubor (1) cum minutissimis quibusdam pustulis in cute conspiciatur, et venenum in cute profundius haereat, pulsus velocitas tanta non est, sed altitudo, et frequentia

(*b*) Talis exitus frequentior est in complicato morbo.

(1) Hujusmodi pustularum apparitio, in qua praeter pustulas, quae paullo diutius etiam rubrae persistunt cum suffuso quodam rubore potissimum in pectore, et dorso, evenit iis in casibus, in quibus miasma miliarium paullo tenacius sanguini inhaeret et quando febris petechizans est.

inaequalis, aliquando pene intermittit. Urinae nunc tenues, nunc coloratae; et saepius turbatae non multa copia veniunt, calor insignis, sed non acerrimus vexat, pene continuo tendines subsiliunt, lingua tremula est, delirio, et convulsionibus aegri identidem prehenduntur. Haec deinde paullatim in melius vertunt sudore viscido-foetido excitato, qui et majores aliquas hydatides, et denique pustulas varorum instar majusculas affert.

Si aeger intereat.

84. Aliquando vero post statum (§. 83.) descriptum in soporem aegri decidunt: assiduis tendinum motibus, aut majoribus convulsionibus detenti, stupidi, obliviosi, lethargici evadunt; et demum post convulsiones varias, stertore lentius, quam in casu (§. 80.) accedente, intereunt.

III. Miasmatis miliarium proprietates generatim.

85. Miliarium miasma concoctionem (1) nullam patitur; urinae morbum non

(1) Immutatum hoc miasma in corpore persistit miris, et variis modis vexans interdum, antea quam exanthemata gignat; similia vero diutissime duratura in-

judicant (1), parotides, et salivatio non nisi rarissime observantur. Alvum in secunda periodo moderate fluere utile est. Sanguis extractus varius est, plerumque cum pauco sero, et concretus. In secunda periodo, aut sub finem primae post maximos sudores coccineus educitur, et sine sero.

IV. Morbi succedentes.

86. Qui graviter laborarunt, mortemque effugerunt, quandoque alia incurrunt incommoda diu etiam persistentia, quorum quaedam ex ipsius morbi actio-

commoda renovare potest, si postquam cutim petiit, iterum retrocedat. Omnis generis medicamenta expertus nullum reperi, quod hoc miasma corrigat; vidi in complicato morbo, ex. gr. cum angina tumorem inflammatorium faciente partem abscessisse, et post factam suppurationem nihilotamen minus pustularum eruptionem contigisse. Meas observationes, meumque de miasmatis immutabili natura judicium liceat confirmare observatione, quam habet *Roux* (*Journ. de Méd. tom.* 5.): eruptio exanthematum data opera cohibita dedit febrem hecticam cum symptomatis ad convulsificam naturam referendis, quae per sex annos perduravit, et denique miliarium eruptione superata est.

(1) Neque urinarum copia, neque urinis turbatis prohibetur miliarium eruptio; diutissime aliquando minguntur urinae instar seri lactis turbatae, potissimum quando lymphae viscidae miasma tenaciter inhaeret, cutisque vasa libera non sunt; attamen diuturnitate hujusmodi urinarum morbus non judicatur.

ne, alia ex morbo adjuncto, sed pleraque ex superstite miasmatis veneno proficiscuntur. Sunt autem difficilis sudatio, aut ex quocumque motu facillima; vari, furunculi, aliaque similia pustularum genera; memoriae infirmitas; summa nervorum mobilitas, et in timorem magna proclivitas; delirium melancholicum, quod ipse pluries vidi, et *Burserius* (*Tom. II. pag.* 573.) observavit. Paralysis (1), claudicatio (2), ischiadicus dolor (3),

(1) Vir annorum quinquaginta cum miliari febre detineretur, atque malignus humor jam cutem impeteret, puncturas in universa cute faciens, eo repercusso in paralysim alterius cruris incidit, quae motum, et sensum omnem in affecta parte sustulit. Adhibitis mitibus resolventibus dimidiae horae spatio fere ex integro resoluta paralysis est suborto sudore, qui pustulas neque copiosas in dorso, et pectore attulit; aliqua cruris debilitas per aliquod tempus remansit, sed duorum mensium spatio ad pristinum tonum pars est restituta.

(2) Nobilis matrona aegrotavit ex febre, quae miliaria exanthemata proferre debebat, atque febris finem habuit sine exanthematum apparitione; lecto surgens claudicavit sine dolore. Haec claudicatio per annum, et ultra perduravit. Praeter omnem expectationem, et sine evidenti caussa post rigorem febri corripitur, claudicatio disparet, sudores urgent, miliaria exanthemata efflorescunt, quae negliguntur, atque interim praeter assidentium expectationem in lethales convulsiones incidit.

(3) Pluries vidi ex repercussis, aut non erumpentibus miliariis pustulis productam ischiadem nervosam.

hydrophobiae species (1), rheumatis-

(1) Foemina trigintaquinque annorum miliarem eruptionem habuit, quae anginam primum mentita fuit. Cum cutem haberet maxime compactam, atque instructa esset nervis valde sensibilibus, exanthemata miliaria minuta extiterunt, cuticulam non separantia, miasmatis materies resorpta iterum ad fauces delata est, atque ibi aphtarum minutarum apparitionem dederunt. Viginti circiter dierum spatio cum symptomatis hydrophobiae lente occubuit; conabatur aquam bibere, sed eam refugiebat; cum mente omnino constaret, magnis conatibus aquam aliquam, aut jusculum deglutiebat non sine convulsifica totius corporis convulsione; se vi quadam ad mordendum cogi non modo significabat, sed me ne eidem appropinquarem, admonebat, atque incredibili quodam rabiei impetu irrequieta undequaque se conjiciebat, stragula, et lintea perpetuo mordens.

Virgo 25. annorum multum carnosa difficulter sudans etiam aestatis tempore, febri vehemente corripitur cum faucium inflammatione; magna erat pulsuum frequentia, et celeritas. Post repetitas venae sectiones secundo, et tertio die sudores aliqui apparuerunt, praecipue in trunco cum maxima pulsus sollicitatione. Imminentem eruptionem praenunciavi; sub finem tertiae diei puncturas in dorso persensit, sed nulla exanthemata apparuerunt. Quarta die delirans tota nocte cantavit; cucurbitulis dorso, et fotibus plantis pedum applicitis ad rationem rediit; iterumque de faucium inflammatione conquesta est; novos naturae conatus ad eruptionem faciendam pulsuum conditio significavit; sed et haec non evenit. Cum pectoris aliqua angustia de faucium constrictione querebatur; mente constans identidem motibus aliquibus convulsivis, sive potius artuum subsultibus convulsivis concutiebatur; in eo rerum statu conabatur aquam bibere, sed et ejusdem aspectum refugiebat; cum ad suum statum ipsa adverteret, admonita tentabat aquam bibere; dum autem eam intra fauces adigere conabatur, in convulsiones incidebat; irrequieta undequaque se jactabat cum aliquo clangore etiam vocem edens, stragula mordebat, atque magnae mordendi voluntatis impulsum

mus, phtysis, hydropis variae spe-

se habere confitebatur. Altera morbi die, et difficilis respiratio, animi abjectio, quidam in vultu squalor, pulsus imbecillitas cum contractione, recurrentes aliquae lipothymiae jam proxime imminentem mortem denunciabant, et aegrae, et assidentibus. Cum externa praesidia ex fotibus, et cucurbitulis, atque epispaticis deprompta nihil proficerent, in tam difficili, et praecipiti casu prescripsi ut trium drachmarum unguenti mercurialis pondere tibiae, atque crura inungerentur; supra expectationem quindecim horarum spatio deglutiendi aliqua libertas restituta est, atque motus spasmodici quietem habuerunt ita, ut deinde bibere, atque opportuna remedia etiam postmodum assumere potuerit. Aliqua deinde exanthemata erupuerunt, sed morbus diutissime protractus est, et lente convaluit, nulla autem amplius revertente hydrophobiae specie.

Foemina octuagenaria, vagantibus in urbe febribus naturae peticularis cum miliarium morbo conjunctis, febri etiam hujus generis corripitur cum faucium inflammatione; vix aliqui sudores apparent, qui post venae sectionem cito disparent; sublata etiam est angina, sed advenit dolor stomachi, qui transiit in dolorem abdominis. Per duos annos miseram vitam duxit nunc in abdomine, nunc ad stomachi regionem dolens, nunc tussiens, quae incommoda minuebantur, suborta aliqua ad fauces inflammatione. Pulsuum conditio erat varia pro locorum affectorum diversitate, sed semper cum arteriarum motu febrili, aut evidenti, aut obscuro. Jam multum provecto morbo, et quatuor circiter mensibus ante mortem post evidentiorem, atque fortiorem faucium inflammationem cum difficultate aquam bibebat, atque ex bibendi conatu convellebatur; ululatu totam domum implebat, morsu adstantes impetebat, atque omnia, quae ad manus erant, in eos jaciebat. Per plures dies iteratis vicibus hujusmodi, ut ita dicam, hydrophobiae paroxismi reversi sunt, denique plurimum aucta respirandi angustia, atque sine sudore, majori aliqua febri excitata, ut verosimile est, ex pulmonis inflammatione, primum animo deficiens, deinde etiam convulsa occubuit.

cies (1), et symptomata morbi convulsifica. Haec permanentia cum urinis tenuibus, et obvolitantes pilos continentibus justum recidivae timorem faciunt, et maxime cuti venenum haerere significant.

87. Seminium enim hujus morbi difficulter extirpatur, et qui semel hac aegritudine affecti sunt, facile in eam relabuntur. Reviviscit autem eo potissimum redeunte tempore, quod primae accessionis tempori respondet. Sic non raro videntur puerperae successive singulis puerperiis idem subeuntes periculum, et demum interfectae, licet bona valetudine intermedio tempore usae sint. Rarissimo quodam simplicis morbi exemplo liceat rem hanc illustrare.

88. Virgo annum agens 21. sanguineo-

(1) Male judicatum miliarem morbum consequitur interdum phtysis, alias tussis perdurans sine exanthematum apparitione phtysim infert, saepius ejusdem magnum metum incutit; verum si provida natura, aut peritus Medicus eam adjutricem operam praebeat, qua exanthemata adveniant, a phtysi aeger liberatur, quod etiam animadvertit *Burserius* (*p.* 589), et peculiari observatione comprobavit. Hujus rei exemplum in nota ad praecedentem §. relatum est, sed nostris temporibus frequentissima facta est phtysis, quae miliari morbo complicato supervenit, sicuti dicemus in peculiari opusculo, quo morborum facta nunc temporis mutationem exponemus.

lymphatica, sana, et robusta, habitus spongiosi, vasis sanguineis parvis praedita post magnam perspirationis ex frigore externo suppressionem febre acuta paullo post hyemale solstitium anni 1752. cum dolore rheumatico ad ilii sinistri regionem, et symptomatis plerisque (73) corripitur. Quinta die exeunt miliaria exanthemata, quae cum magnis sudoribus usque ad decimumseptimum copiosissima per varias vices eruperunt cum morbi progressu (76. 77.): vigesimoprimo febre immunis extitit.

89. Lente convaluit, per reliquam hyemem in cubiculo maxime frigido, et humido degens. Nondum ex integro valetudine restituta redit, qui prima morbi initia fecerat, dolor rheumaticus, et sensus stuporis pungitivi in digitis manuum, et pedum, *granſ* dicti. His accedunt facilis ex levi causa timor, et terror cum subsequenti palpitatione. Cum mediocri sanitate reliquum annum transigit, sed post solstitium anni 1753., postquam dolor rheumaticus gravior, et *granſ* frequentior fuisset, iterum lecto decumbere cogitur, ut consimilem morbum patiatur. Proxime elapso vere undecimam sustulit morbi hujus accessionem; primis enim tribus annis

circa solstitium tantum prehensa morbo fuit, sed sequentibus annis bis, hyeme scilicet, et vere; ex vernali accessione gravius laborans.

90. Sine ulla febri, sed cum pulsu aliquantulum contracto intervalla sanitatis ducit sequentia incommoda ferens; dolorem ad os ilium rheumaticum; *granſ*; somnia terrifica, et cum magna cordis palpitatione somnum interrumpentia; lassitudinem corporis; ad scrobiculum constrictionis sensum, et hac ex causa respirandi angustias; tendinum ad occiput rigidas tensiones; molestissimas capitis, post pastum praecipue, calefactiones; aures varie frequentissime sonantes, et cum ad somnum super cervical se componit, importunas carotidum pulsationes. Semper aliquantisper tremula est, et decolores perpetuo urinas esse narrat. His omnibus a tribus annis jungitur inanis tussicula cum gustu salivarum aliquando salso, et catameniorum diminutio.

91. Haec omnia symptomata aestivis mensibus mitiora sunt, et facile tolerabilia. Quandoque hac tempestate pustulae aliquae in dorso eruperunt. Nunquam, ex quo hunc morbum patitur, nec ur-

gente canicula sudat, quae alias antea sudore facile madebat.

92. Accedente autumno sensim incommoda (90) crescunt cum urinis aqueis; et demum ex lassitudine, febricula, dolore capitis cogitur lectum petere: sequenti autem modo morbus progreditur.

93. Lassitudo summa corporis, assidui pene *granſ*, et reliqua symptomata (90) febrem comitantur; interdum cum angina, aliquando odontalgia, semel cum tetano morbo incipiente. Artuum tremores continuo usque ad summum morbi increscunt; pulsu continuo contractiore facto, denique non percipiendo. Carotides gradatim cum majori violentia pulsant. Pectoris angustia, et anxietas fit summa, ut suffocari misera videatur. Sexto die saepius, post aliquot madores, rubra, aut minutissima pellucida apparent in pectore exanthemata, quae cito cum sudore disparent. Hoc tempus est, quo tremores, ceteraque symptomata augentur, ut continuis concussa tremoribus convulsivis; mente plerumque constans, sed balbutiens, et pene aphona; caligine oculis affusa, eo redigatur, perinde ac si nulla spes amplius superesse videretur. Haec

interim postquam ad summum pervenerunt, paullatim iterum imminuuntur, et jam valde inclinato morbo, olido aliquo sudore apparente, urinis tantillum coloratis, et demum turbatis solitus redit valetudinis status fere sine cuticulae decidentia. Dies summus morbi solet esse in hyemali accessione decimusquartus, aut decimusseptimus; in vernali vigesimusprimus, et ultra. Anno 1756. verno tempore tetani convulsio, viginti horarum spatio resoluta, morbum incepit, sed in morbo summo scotomia, et aphonia affecta fuit, quae ad viginti dies perdurarunt, visus, et linguae usu paullatim reddito. Sanguis extractus coccineus, et sine sero semper visus est. Ad morbum extirpandum inutilia fuerunt multorum generum praesidia, extra accessionis tempus maxime instituta. Adhibita vero sunt balnea tepida aquae dulcis; decoctum corticis ulmi; acidulae augustanae; aqua calcis; lac; chinae carnosae, salsae, aliorumque diaphoreticorum decoctiones. Morbus in accessione curatus est per diluentia, demulcentia, emollientia, bezoartica, antispasmodica, maxime ex succinatis, sudorifera vehementiora, antiseptica corroborantia etc. Observatum est haec omnia frustra adhibita fuisse, V. S. repeti-

tam nocuisse, uti etiam opiata, et nullam utilitatem vesicantia attulisse. Binae postremae accessiones, in quibus nulla instituta est V. S., assiduae datae emulsiones ex amygdalis pini, et melonum seminibus; et sumptus bolus ex succino, et pulvere radicis valerianae aliquantisper mitiores fuere, vesicularum miliarium nonnullae majores factae sunt, et cuticula aliquibus locis decidit (1).

94. Haec, uti patet, historia docet venenum, quod miliarium morbum facit, diu immutabile retineri posse, et ab impedita perspiratione maxime hujusce veneni actionem excitari. Hujus loci non est, quae ex hac historia ad morbi natu-

(1) Huic virgini sequentibus annis similes morbi recursus advenerunt, sed tamen continuo minores, et cum aliqua vescicularum miliarium eruptione, et desquamatione. Post aliquot annos coelum mutavit, atque neglectis sudoribus nullae pustulae apparuerunt; sed dolores arthritidem exhibentes, aestate minus acerbi, eam continuo vexarunt cum febricula, quae hyeme majorem vehementiam habet. Hoc anno 1792. cum aestivis mensibus Augustam Taurinorum se contulisset, eam videndi, et considerandi occasionem non praetermisi. Conquesta est de frequentia cephalalgiae, et recursus stuporis cujusdam pungitivi in manibus, et pedibus. Dextera pars praesertim affecta est, et cum aliqua tensione rigat in brachio, et crure. Manum vix movere potest propter quemdam dolorem, et tumorem instar arthritidis: idem brachium fere continuo tremit, febriculam adesse sine calore cutis adnotavi.

ram illustrandam consequuntur, expendere; operis ordo postulat, ut diagnosim prosequamur.

CAPUT QUINTUM

DIAGNOSIS MORBI SIMPLICIS.

95. Prima morbi periodus in morbo simplici praeter effecta praecipua morbi miliarium (73), ea etiam habet, quae propria sunt morbi, quem eo tempore mentitur. Sub imagine enim rheumatismi (1), varii generis convulsionum, erysipelatis, anginae, pleuritidis, odontalgiae (2),

(1) Hujusmodi rheumatismus solet acerbum dolorem inferre, qui modo intenditur, modo remittit, pars dolens tensa etiam persentitur, momento temporis interdum disparet, atque sudores statim urgent magno impetu cum explicatione evidentiori symptomatum, quae propria morbo sunt. Pulsus semper cum tensione contractus est, non admodum celer.

(2) Nullo temporis ordine solet hic dolor intermittere, et recurrere, atque cum magna acerbitate torquet, pars dolens contrectationem non fert, et vix intumescit, facileque hic dolor aut ad aures, aut ad tempora transfertur; alias fugacem anginam facit, pulsus etiam cum tensione contractus, sed majori adhuc contractione non admodum frequens, sed tamen febrilis.

tussis (1), coryzae (2), doloris cujuslibet etc. morbus primum incipit, et progreditur. Morbos omnes exhibere potest ex convulsione, et inflammatione vasorum sanguineorum (3), aut lymphaticorum. Apoplexiam cum apparente primum erysipelate in ea faciei parte, quae respondebat pene resoluto lateri, deinde succedentibus miliariis, optime resolutam vidi (4). Sternutationis vehementissimae pur-

(1) Tussis ab hoc miasmate ferinam tussim exhibet interdum cum sibillo, sed sine clangore; tussis sicca non est, sed humida, sputo interdum etiam copioso, mucoso, aut salivali, semper spumoso, acidum spirante, neque sputa crassa, aut pituitosa apparent, nisi morbus complicatus reddatur cum muci collectione in vesciculis pulmonalibus.

(2) Hujusmodi corizae recursus, et progressio etiam inconstans est, prompteque aut in anginae speciem convertitur, aut ea abeunte renascitur.

Plura non addimus; quae enim pertinent ad alios morbos, sub quorum larva miasma miliarium primum ferit, ex iis, quae diximus, et dicemus in diagnosi morbi varie complicati, non difficile deduci poterunt.

(3) Si ex iis, quae extus observari possunt, concludere licet ad ea, quae intus fiunt, cum rarum non sit videre odontalgiam, othalgiam, dolores capitis ad tempora pungitivos momento temporis dissipari apparente quadam flogosi faucium, atque hanc interdum pari celeritate resolvi advenientibus sudoribus, eos etiam cito consequentibus miliarium exanthematis; concludere licebit parva mala, sub quorum larva morbus in prima periodo progressus est, deberi inflammationi vasorum lymphaticorum.

(4) Apoplexiae succedentia miliaria exanthemata narrat *Barailon* (*Soc. R. de Paris Tom. II.*). Occurrit etiam mihi exemplum paralyseos alterius lateris in foemina

pura solutae exemplum narrat *Joerdens* (c). Pertinax delirium melancholicum sola purpurae eruptione curatum jamdiu observavit *Gottlob Schoberus* (d). Singularem immodici risus per apparentem purpuram albam evanescentis observationem nuper communicavit *Fridericus Zwingerus* (e).

(c) *Act. curios. vol.* IX. *p.* 184.
(d) *Ephem. nat. cur. cent.* I. *obs.* XXI.
(e) *Acta Helvetica. Basileae* 1751. *vol.* I. *p.* 47. Casus est sequens. Filia viginti et amplius annos nata, bene valens prima a celebratis nuptiis nocte cum vehementia ridere coepit; insoliti hujus risus causam maritus cum peteret, ipsa respondit, se vi quadam in risum cogi. Accessere febris, et praecordiorum anxietates perdurante cachinno, qui non cessavit ex integro, nisi postquam miliaria exanthemata eruperunt.

---

quinquagenaria, quam fecit miliarium miasma. Foemina haec quinquagenaria obesa in apoplexiae speciem incidit cum lateris sinistri resolutione. Profundissime dormiens cum stertore spiritum ducebat, nullum interni sensus indicium praebebat, excitata fere eodem tempore febris est, atque sudor aliquis apparuit, qui vehementer in latere affecto erat. Epispasticum nuchae admotum est, saphaena bis secta fuit. Quindecim horarum spatio loqui caepit, et balbutire, atque significavit, licet neque loqui, neque moveri se posset, plura ex iis, quae gesta fuerunt, sensisse, atque advertisse. Nihil omnino latus affectum movere poterat, sed tendines tensi erant, neque pars vere flaccescebat; perseverans continuo febris cum sudoribus usum linguae restituit; querebatur de magno dolore capitis in dextera ejus parte. Sudor acidum olebat, brachium dextrum intumuit, et doluit, atque *granſ* accesserunt, impetus sudoris acuti sunt, nono die miliares aliquot pustulae in pectore, maximeque in paralytico latere apparuerunt,

Eam malo ischiadico succedentem Berolinenses (*f*) notarunt, et ego ipse etiam animadverti (1). Ea ratione porro, qua morbus, cujus speciem praesefert, solvitur, apparent, et increscunt olidi sudores, caeteraque symptomata (73): post expulsionem vero, qualis in simplicissimo morbo (75 etc.) progressus, et exitus sequitur.

96. Quandoque occurrit, ut cum idem morbus altera, aut tertia vice redierit, vario bonae valetudinis intervallo, miliaria tandem exanthemata erumpant; sed interdum ex signis convulsificis (73) praecognitus simplex miliaris morbus sine recidiva, et ullis exanthematis sponte finit.

(*f*) *Act. Berolin. Dec.* 1. *vol.* 2. *p.* 17., *et Dec.* 11. *vol.* 5. *p.* 46.

---

quae morbum utique sublevarunt, sed non sustulerunt. Per quatuor menses mente constans, cibos appetens, sed cum pulsu semper contracto, et imperfecta resoluti lateris paralysi transegit. Denique nova accessio rediit apoplexiae convulsivae, quae paucarum horarum spatio miseram jugulavit.

(1) Neque raro mihi contigit videre miliaria exanthemata haemorrhagiam uteri sustulisse. In hoc autem casu solet haemorrhagia modo subsistere, modo cum impetu redire, pulsusque conditio sua brevitate, et constrictionis vi ab uterinae haemorrhagiae pulsu recedit.

CAPUT SEXTUM.

DIAGNOSIS MORBI COMPLICATI.

Generatim.

97. Diximus a miliarium miasmate ea omnia primum produci posse morborum genera, quae ab inflammatione arteriarum sanguinearum, et lymphaticarum, ac nervorum irritatione pendent. Si autem hi morbi non miliarium miasma tantum, sed et aliam causam habeant, morbum complicatum faciunt. Haud facile est semper statuere num binae, aut una miasmatis causa vigeat: ut autem hoc decernatur, symptomatum, et febris magnitudo perpendenda. Quando enim a solo miasmate producuntur, in morbi initio symptomata gravia non esse consueverunt, nec vehemens febris tenet. Multam praeterea lucem dabunt notae antecedentes causae, et cognita aegri constitutio. Patet igitur interdum morbos recensitos (§. 95.) tantum exhiberi a miliari febri; sed alias eosdem huic febri adjungi. Eo in casu morbus complicatus oritur, cujus

idem, ac simplicis progressus est (95); at in complicato adjuncti morbi effecta persaepe pertinacia sunt sola expulsione miliarium pustularum nequaquam solvenda.

Cum Rheumatismo.

98. Rheumatismus acerbum dolorem infert, qui nunc remittit, nunc ingravescit, neque pars affecta sine dolore moveri potest; febris tenet, quae prout rheumatismus solvitur, increscit, sudores adveniunt, atque propria morbi miliaris symptomata se se explicant. Solet rheumatismus per expulsionem exanthematum resolvi, sanguis extractus crustam inflammatoriam praesefert, diu etiam interdum excruciat, antea quam resolvatur, atque miliares pustulae efflorescant.

99. Frequenter cum rheumatismo abdominis miliarium miasma complicatur, atque materies rheumatica saepe musculos abdominis afficit. Praeter quamdam acerbitatem doloris sequentia observavi: pulsus obtuse durus, et tensus est, non celer initio morbi, abdomen non elevatur, sed veluti complanatur, atque ad tactum plurimum dolet, dolor etiam saepe, cum partem abdominis liberat, ad pectus salit.

100. Si vero materies rheumatica in intestinis se figat, utique pulsus celerior est, sed tamen semper in ultimo puncto contractionis persistit cum quadam firmitate, venter multum dolet, aliquantum inflatur, vomitus saepe adsunt, neque etiam clysteribus alvus cieri potest.

Cum Arthritide (1), *et Podagra* (2).

101. Arthritidis, et Podagrae dolores, si miliarium venenum pro causa etiam

(1) Quamvis artrhitidis, et podagrae complicatio cum miliari morbo propriis, et praecipuis notis conveniat, atque idcirco uno paragrapho comprehenderim, distinctas tamen aegritudines habeo. Arthritis, quam alii rheumatismum acutum dixerunt, non nisi per decidentiam chronica evadit. Sed acutus morbus est cum febre conjunctus etiam acuta, et primum pedes, deinde et manus, atque omnes fere in progressu suo articulos vincit. Urina in hac aegritudine parum initio morbi excolor est, sed ea proportione, qua miliarium venenum cutim subit, decoloratur primum nebulosa, deinde turbida, et albescens, copiosa, atque bonum est post factam expulsionem urinas turbidas fieri, atque sedimentum deponere. Pulsus primis diebus solet esse inaequalis, et licet accedente eruptione aequalis, et citatus reddatur, nunquam tamen habet eam sollicitationem, quae in morbo simplici, et simplicissimo observatur: pulsus semper solet esse obtuse duriusculus. Pessimum est eruptionis tempore pulsum suspensum esse, atque inaequalem. Caetera ex iis, quae dicta sunt circa morbum simplicem, et simplicissimum, huic complicationi aptari facile possunt.

(2) Id peculiare habet haec complicatio, ut dolores podagrici sint inconstantes: pars dolens parum tumet,

habeant, fugaces, et acerbi sunt. Miliaris morbi symptomata (73) molesta ad-

et etiam sine rubore multum dolet. Dolores sunt recurrentes; febris lenis est, atque interdum a Medico minus diligenti non percipitur. Urinae sunt variae, nunc tenues, et pallidae, nunc naturaliter coloratae, sed turbidae, et confusae, quando remittunt dolores, et ex affrictu aliqua resolutio humorum facta est. Pulsus nunquam vere podagricus est, et semper initio morbi inaequalis, atque suspensus, et cum vi contractus in fine systolis eo tempore, quo natura molitur eruptionem. Tendines in hoc statu morbi subsiliunt. Febris recursus sine frigore, et obscuri varii quod ad tempus. Morbus noctu ingravescit; praecordiorum anxietates cum lipothymia adveniunt vehementes, quando imminet, aut fit pustularum eruptio. In statu morbi si res male cessura sit, nullus sudor, urinae copiosiores, calor cutis adaugetur, qui deinde remittit cruribus torpidis, et perfrigeratis: tunc non amplius articuli dolent, neque tendines subsiliunt, sed viribus prostratis quandoque animo linquuntur: iterum autem sudores recurrunt, sed in pectore, et ad caput denique posteaquam repetitis vicibus iterato animo defecerunt, parumper somnolenti facti gravi adveniente oppressione pectoris, atque internis ad pectus convulsionibus brevissime suffocantur; si magno quodam conatu natura exanthemata paullo copiosiora protulerit, humorum circuitu libero non facto, altera ab eruptione die, et etiam citius exanthemata subsident, et gravioribus evidentioribus convulsionibus aegri necantur. Morbus est saepe diuturnus, et ad centum, atque ultra dies producitur. Solet, dum venenum ad cutem transfertur, aut quando translatum est, parere motus spasmodicos praecordiorum, et anxietates dare, quae saepe cum debilitate, et asphixia conjunguntur, atque interdum habentur a minus sagacibus Medicis pro effectibus hypocondriacis. Haec cum podagra complicatio raro bonum exitum habet, nisi pauca existat veneni copia, eademque per exanthemata expellatur.

modum non sunt: difficulter fit pustularum eruptio, et saepe cum funesto (83 84) successu.

Cum Febre catarrhali.

102. Plura ex iis, quae pertinent ad hanc complicationem, facile definiuntur ex consideratione febris catarrhalis, ex proprietatibus hujusce miasmatis, atque ex iis, quae dicta sunt. (§. 95. *p.* 64 *n.* 1.) Adjiciant febrem hanc non vespertinis tantum horis evidenter increscere, verum etiam circa meridiem aliquod habere incrementum, *granf* non persentiri, nisi quando jam tussis remittit, atque pulmones vitioso miasmate incipiunt expediri, urinae primum turbatae, et parcae sunt, pulsus qualis in febre catarrhali, sed aliqua peculiaris constrictio in fine pulsationum adest, incertum est tempus expulsionis, raro ante sextum, aut octavum diem contingit. Sudoris recursus nullo modo potest aeger prohibere, atque si data opera sudores aeger fastidiens velit eosdem dispellere, statim tussis acerbior redditur cum recurrentibus cujusdam dispneae non sine animi defectione accessionibus. Quum natura molitur miasmatis ex internis partibus ad cutim propulsionem, et miasma-

tis pars jam per minima vasa cutis progreditur, urinae juxta naturam morbi diluuntur, pallidae, et turbatae fiunt. Si pulmo se expediat cum pulsu soluto, et celeri, externoque, bonum est: verum si materies lymphatica, aliave, quae febri catarrhali originem dedit, partem miasmatis intra pulmones adhuc retineat, in gravi periculo aegri versantur, atque res saltem diu trahi solet, congesta materie lymphatica in speciem suppurati abeunte. Caetera quae ad morbi progressum pertinent, fusius exponenda non videntur, quum ea pateant ex iis, quae pertinent ad diagnosim morbi simplicis, et simplicissimi. Quae diximus spectant ad febrem catarrhalem, quae tantum adjunctum habeat miliarium miasma, sed nonnulla adhuc tradenda sunt de ea complicatione, quae *maligna* vulgo audit, atque epidemice interdum solet grassari. Praeceps interdum hic morbus est, atque cito stasim humorum gangraenosam in pulmonibus affert. Saepius soporosi aegri sunt, viribus prostrati; pulsus imbecillis, et brevis, saepe imperfectus, magis, aut minus sollicitus, prout praevalet aut miliarium miasma, aut septicum principium naturae peticularis; sudores sunt inaequales quandoque cum aliqua perfrigeratio-

ne; respiratio brevis, et frequens; urinae parciores, atque etiam cito corrumpuntur. Si valens natura sudores sustineat, ii non acidum tantum olent, sed corrupti aliquid, et cadaverosi. Primum rubet cutis in pectore, et dorso, deinde pustulae miliares se se efferunt. Reliqua ad hanc complicationem pertinentia facile patebunt illi, qui ante oculos sibi posuerit diagnosim morbi miliaris cum peticulis complicati.

Cum Peripneumonia.

103. Exitialis, et admodum frequens est cum peripneumonia miliarium morbi complicatio. Observatum autem est hanc peripneumoniae speciem, praeter signa (73), lateris dolores habere admodum mobiles, et fugaces, sputum primo quidem ex parte cruentum, deinde aequate subrubro-flavum, tum flavum. Hac flavedine evanescente sudores maxime urgent, et miliaria exanthemata erumpunt, dolore aut integre soluto, aut levi tantum permanente.

104. Si morbus secundarius sit, atque alteri morbo supervenerit tamquam methastasis, quae finis esse solet quotidiane, aut erysipelatis retropulsi miliare ve-

nenum adjunctum habentium, jam nulla amplius spes est; unius enim, aut alterius diei spatio gangraena subnascitur.

105. Quandoque evenit, ut primum pars una pulmonis, aut alterius pulmonis etc. altero sano in gangraenam abeat, tunc per sudores fit aliqua expulsio, jam non amplius aegri dolent, et melius se habere videntur, sed altero die moriuntur.

106. Quo mobiliores dolores sunt; quo citius in sputis flavedo evanescit; quo magis sudores urgent, eo citius exanthemata erumpunt. Urinae, quae dum dolor lateris urget, rubrae sunt, eo soluto, instante eruptione, aqueae evadunt. Aliquando morbosus humor, qui in pulmone phlogosim fecerat, nec cutim petit, ad caput defertur; et furiosum excitat delirium, ad cutem advenientibus pustulis sedandum.

107. Malum est dolorem loco non dimoveri, sputa viscida vasi recipienti firmiter adhaerere, eaque parum bile, aut sanguine tincta esse, sanguinem urgentibus jam multum sudoribus crustam inflammatoriam adhuc ostendere, urinasque

biliosas, et nebulosas persistere, alvum serosa pallideque flava dejicere.

108. Si tertio, aut quarto die sputa biliosa obscura soluta appareant, aut fuliginosa; et ita quinta die perseverent, cito cum levi, aut etiam, si pustulae in cute jam apparuerint, vehementi delirio, catarrho suffocativo accedente, inaequali, intermittente reddito pulsu, brevi pereunt eadem, aut sequenti die, omnis doloris expertes.

109. Hujusmodi aegris pene lethale est quarto die miliaria exanthemata apparere; ii mortem saepe effugiunt, quibus sexto, aut serius eadem adveniunt.

110. Hoc in morbo suppuratio non succedit, nisi suppurandus in pulmone tumor jam morbum anteverterit.

Cum aliis Miasmatis.

Generatim.

111. Altera morbi complicati species est, quando aegritudines variae ex diversa, et peculiari humorum corruptione, aut vitio productae miliarium miasma una

continent, et ad agendum excitant. Vidi miliarium morbum adjunctum febribus putridis, et intermittentibus, peticulis, variolis, morbillis. His in casibus varii diversorum miasmatum effectus varie permiscentur, utrorumque actione turbata, et anomala facta.

Cum Febre putrida.

112. Prima morbi progressio, qualis in febre putrida (1), nonnulla praeterea

(1) Febrium putridarum, ut notum est, non eadem indoles in omnibus est: alia enim ratione procedunt febres, quae gastricae dicuntur; alia febres illae, quae biliosae appellantur, in quibusque bilis accumulata in viis sanguineis, et secundariis vasis, saepe commota a particulis putridis sanguine infusis; denique viribus vitae, providoque naturae motu iterum ad hepar, et tubum intestinalem urgetur, ut evacuetur. Est etiam quaedam indoles putridarum, in quibus putridae particulae cum lympha coalitae in minimis vasis praesertim cutis retentae tractu temporis lympham ipsam, aut etiam pinguedinem corrumpunt, atque vitiosa haec materies resorpta per alvum evacuatur. Miliaris autem morbi symptomata citius apparent in secunda et tertia putridarum specie, atque tempore fortioris alvi fluxus eadem occultantur, siquidem jam apparuerint initio morbi, quod evenit saepe in tertia specie.

Ad censum etiam putridarum refero febres, quae biliosae ardentes vocantur, et a bile acri etiam phlogistica intra sanguinem aestuante producuntur, uti etiam nonnullas ex sudatoriis febribus, quae diuturnae etiam redduntur, et familiares sunt scorbuticis hominibus, atque iis, in quibus parum firma existente sanguinis cohaesione a bile acri, parti-

habentur miliarium symptomata (73), praecipue *granſ.* Pulsus celerior, et aequalior, quam in putrida febre esse soleat: octava, undecima, aut decimaquarta die, imminuto alvi fluxu, et explicatis symptomatis (73) efflorescunt miliaria exanthemata. Repente aliquando suppressa alvo, dolet, et tumet abdomen; tunc subdeliri, et in soporem delapsi aegri, pene sine exanthematum expulsione, ex interna gangraenosa inflammatione moriuntur.

Cum Febribus intermittentibus.

113. Febres intermittentes miliarium febri junctae paroxysmos habent saepe per continentem febrem communicantes

cularum putridarum actione, et stimulo miliaris veneni continuis, neque utilibus sudoribus massam humorum solventibus, et vires exhaurientibus homo conficitur.

Putridae febres, atque illae potissimum, in quibus existat bilis acrimonia, et miliarium venenum, si eo tempore, quo venenum ad cutim trasfertur in alvum ducentium medicamentorum praescriptione, Medicus persistat, aut a contrario regimine, neglectisque sudoribus exanthemata, quae jam eruperunt, dispareant, excitantur facile in faucibus, et lingua aphtae iterum restituto exanthemate dispariturae: eae permanentes, aut auctae nisi conveniente regimine sagax, et prudens Medicus provideat, in tracheam, aesophagum, atque tubum intestinalem descendunt internas excoriationes difficilem saevi morbi, et periculosi diuturnitatem allaturae.

cum pulsu in accessionis fine duriusculo, et contracto, urinis sedimentum non dimittentibus, et tenuibus, quibus addantur aliqua ex symptomatis (73). Paroxysmi non solent stato tempore reverti, sed constitutum tempus antevertunt, sudores fere statim post superatum frigus adveniunt, neque declinationem paroxysmorum expectant. Urinae quandoque coloratae, et praesertim paullo ante paroxysmum, sed versus declinationem febris, et ea die, qua maxime sudores urgent, dilutiores, et tenues esse solent. Quinta aut septima die utplurimum febris disparet intermittens in continua mutata, miliares pustulae exeunt, et suum miliarium morbus progressum facit, quo ad finem perducto intermittens saepe redit febris.

114. Aliquando mihi contigit videre tertianam febrem simplicem pene omnino intermittentem, secundo, aut tertio paroxysmo miliares pustulas attulisse, et frigoris tempore, cum rediret accessio, retrocedentibus repente pustulis, aegrum periisse. Purpuram albam cum quartana continua febre complicatam, et demum lethalem, horroris tempore repercussis

pustulis, Berolinenses recensent (g) (1).

Cum Febre quotidiana.

115. Febris quotidiana interdum eamdem causam agnoscit cum illa, quae facit febres intermittentes, atque autumnales febres intermittentes, maximeque quartana, aut illae, in quibus ommissa est venae sectio, aut praecocius et inopportune cortex peruvianus datus est, aut sudores cum gravi errore neglecti fuerunt, in quotidianam febrem abeunt. Diuturna etiam moestitia, atque vigiliae, quae vires exhauserunt cum animi pathemate, quotidianam febrem gignunt. Nascitur etiam ex pure, qui resorbeatur, aut comitatur vetustos tumores, quos in abscessum vertere natura conetur. Vidi etiam pluries febrem catarrhalem, aut, ut vulgo dicitur, lymphaticam propter medicorum, aut aegrorum errores, si miliarium miasma conjunctum sit, huic febri originem praebere. Praeter alterius generis stimulos in quotidiana febre solet plerumque adesse lymphae visciditas.

(g) *Act. Berolin. Dec.* 11. *vol.* 7. *p.* 102.

(1) Tertianae intermittentis cum miliariis in finem accessionis historiam habet *Burserius* (*pag.* 587.)

116. Quae complicata est cum miliarium miasmate accessiones habet, quae ad statutam horam ordinario non revertuntur. Numquam febris vere intermittit. Revertitur autem febris aut sine frigore, aut solum cum pedum perfrigeratione; accessiones sunt cum anxietate, aut progrediuntur cum doloribus tibiarum, aliarumque partium rheumaticos dolores mentientibus; paroxysmi sunt inaequales, et quandoque adeo minores, ut proximam salutem denunciare videantur, sed inopinato redeunt graviores. Sudores in progressu paroxysmi cito apparent etiam inaequales, et acidum olentes. Quae primum in paroxysmo excernitur urina fere naturalis est, sed cum nubecula suspensa, levissimeque turbata; properante ad finem accessione tenuiores evadunt urinae, et decolores. In provecto autem morbo variae sunt, nunc turbidae, nunc etiam mucosae; bonum autem est urinas turbidas apparere, et sedimentum copiosum deponere; male autem tenues, aqueae, aut suspensam habentes nubeculam divulsam, et albam. Pulsus semper contractus est, quandoque sollicitatus, et multum contractus in fine accessionis. Malus omnino ille est, qui remittente frequentia febrili redditur inaequalis, intermittens,

identidem suspensus, etiam retrogradus.

117. Si paullo major existat veneni miliarium copia, eaque lympha tenaci retenta haereat praesertim in cute, nervosae lentae speciem constituit, sed vera lenta nervosa una habet adjunctas putridae, aut peticularis naturae particulas. Haec stupiditatem, soporem, virium prostrationem, subsultus, et tremorem musculorum sibi adjungere solet; illa autem jactationem, quandoque delirium, motusque interdum convulsivos proferre consuevit, tunc praesertim quando natura eruptionem conatur.

Si emendata lymphae visciditate, et viscidiore sudore erumpente liberiori reddito pulsu, licet sollicitato, et contracto, praeviis puncturis miliaria exanthemata convenienter in cute efflorescant, salutis spes est. Verum si post irritos naturae conatus a sollicitata externa natura pulsus recedant, atque interni reddantur, fiunt magnae paroxysmorum quoad tempus, et vehementiam inaequalitates, pulsus redduntur solliciti, interni, et dimidiati, dolores fugaces, et acerbi in tibiis persentiuntur, qui ad genua ascendunt, atque ibi paullisper fixi postquam recurrentes magnas anxietates dederunt, deinde pe-

ctus plerumque impetunt, citoque dispnoea convulsiva hominem perdunt. Licet autem in vera lenta nervosa simile quid evenire possit, minus tamen rapide mors advenit, sed stupidi etiam lethargici minoribus, et constantioribus motibus spasmodicis conflictati, fractoque deinceps humorum circuitu suffocantur.

Cum Peticulis.

118. Prima morbi facies est febris peticularis; verum paullominus quam in ea esse soleat, profundus, et demissus pulsus est. Primum erumpunt peticulae, deinde vario intervallo iis disparentibus (1), miliaria exanthemata efflorescunt. Paullatim accedunt effecta (73), et symptomata peticularum mutantur. Urinae, quae primum turbatae, et crassae fuerant, diluuntur; *granf* aliqualis persentitur; surditas recedit; bombus in tinnitum muta-

(1) Nostra in regione peticulae rubri coloris esse solent, atque interdum puncticulos, saepius morbillos referunt, atque hae maculae, dum properat exanthematum miliarium expulsio, aut eadem fit, disparent, aut rubedo quaedam maculat cutim, quae, quando pustulae in vescicas mutatae sunt, etiam evanescit. Alias maculae elevatae sive papulae sensim elevantur in pustulas, quae denique in vescicas abeunt. Observavit etiam *Burserius* (*pag.* 535.) papulas peticulares in pustulas abeuntes, et in demum vesiculas miliares.

tur; sopor in vigilias, aut coma vigil; prostratio corporis tollitur; pulsus elevatur, et frequentior fit.

119. Pro varia utriusque miasmatis copia (1), vi (2), et compositione (3),

(1) *aa* Quando major est quantitas, et actio veneni peticularum prae miliariis, primum exeunt verae peticulae, aut punctula rubra, atque plurium dierum interposito spatio, deinde miliares pustulae efflorescunt.

bb Si aequaliter miasma peticularum, et miliarium simul commixta adinveniantur, symptomata ante expulsionem aequaliter apparent: sonitus aurium inter tinnitum, et bombum, et saepe tamquam ex aqua depluente, aut cicadis remote strepentibus, tempore accessionis; in initio recursus, qui solet esse horis pomeridianis, aliquantum soporosi fiunt aegri; urinae fere sani hominis, pulsus neque depressus, neque celer, aliquando intermittit ita, ut quibusdam horis, et diebus naturalem pulsum aemuletur; alvus adstricta; expulsio fit post diem octavam, maculae apparent, quae statim in papulas, quas basi lata in acumen abeunt: in pustularum acumine, aut papularum medio vesicula prodit, atque major, aut minor pars pustularum in vesicam convertitur, basi tamen subrubente veluti ex annulo, cui fere semper vesicula imposita est. Exarescunt vesiculae, et exsiccatur basis, tota pustula deinde secedit grana dura nigra referens, non squammulas albentes, unguibus difficile atterenda; iis autem interpositae succedunt minutae vesiculae albae, quae in squammulas postea abeunt, similesve vesiculae iteratis vicibus postea exire pergunt. Interdum maculae observantur papularum naturam referentes, sed in earum medio prodit vesicula pellucida, aut albescens, atque macula rubente per sudorem difflata vesicula arescit in squammulam. Sudor in hac morbi complicatione viscidus primum, et cadaverose foetidus esse solet, et ea ratione, qua simplicior redditur morbus mi-

agendique tempore (4), varius sequitur

liarium, acidum olet. Hujusmodi complicatio diutinam periodum habet, atque raro intra triginta dies finitur. Pulsus primum esse solet inaequalis, et varius, aequalior autem, et celerior fit ea proportione, qua miliaria exanthemata: foras uberius, atque liberius se efferunt, similique ratione urinae decolorantur, et copiosiores minguntur. Ad hanc complicationem pertinere videntur miliares, quas commemoravit *Aufavre*.

cc Si longe minor est peticularum veneni quantitas, aut praevalet actio miliarium, apparent primum maculae rubrae, non extantes instar morbillorum, aut maculatur cutis fugaci rubore instar scarlatinae; duorum, aut trium dierum spatio, si sudor, qui foetidus est, perduret, dissipantur, et evanescunt, atque tunc succedunt miliares pustulae, quae cursum suum, juxta propriam naturam, absolvunt. Quod si sanguis multum coactus fuerit, cutisque sit densa, atque copiosum miliarium miasma cum pulsu parum sollicito, sed multum contracto, et urinis aqueis fit exanthematum expulsio, quae fugax est; aegri autem saepius septimo, interdum etiam quinto die convulsi moriuntur, gravi, qui praecesserat, dolore capitis primum silente.

dd Commemoranda insuper est altera morbi conditio, in qua nimirum venenum ex morbo peticulari, et epidemico natum fere sanguinem non afficit, aut eidem non inhaeret, sed minima vasa lymphatica subit. Licet non pauca phoenomena sint morbi peticularis, paucae se se offerunt maculae, sed post recurrentes sudores, eosque acidos foetentes, denique miliares pustulae cum aliquo cutis rubore erumpunt. Febris lenta, nervosa nasci videtur ex putrido miasmate ad eam telam cellularem, quae nervorum extremitatibus circumposita est; sed apud nos utriusque principii superstes materia febrem lentam nervosam facit.

(2) Difficile omnino est metiri copiam utriusque miasmatis; sed adhuc difficilius est definire, et videre, quaenam sit singulorum vis, cum instar variolarum, et morbillorum actio horum miasmatum etiam mul-

progressus, et exitus. Delirium quam

tum dependeat ex ipsius aegri constitutione, maximeque cutis textura. Peticularum autem, quae saepe solent esse epidemicae, saeviores, aut mitiores sint pro diversitate locorum, atque indolis, temporisque epidemiae.

Neque interim diffitebimur longo annorum circuitu vim miliarium valde fuisse infirmatam ita, ut multo mitior hic morbus in praesentiarum sit etiam sub eodem regimine.

(3) *aa* Febres sudatoriae nostra in regione saepe producuntur ex miliarium, et peticularum veneno cum bile acri singulari modo conjunctis; venenum enim miliarium sanguinem, et lympham cogeret ex propria sua vi, sed peticularum venenum adjutum, et incitatum actione bilis acris, et lixivialis humores resolvit. Ab actione miliarium urgentur haec vitiosa recrementa ad cutim, atque sudores propelluntur; sed resolutis humoribus hujusmodi sudores intensi redduntur, atque etiam colliquativi. Iis porro, quae dicta sunt, ubi dictum est de complicatione febris putridae, adjiciatur summam in hac aegritudine esse virium imbecillitatem, animo frequenter aegros delinquere; summam observari phoenomenorum variationem, prout aut peticulae, aut miliares pustulae imperant, et morbum diu trahi, si aegri convalescant.

bb Recensendus nunc esset huic sudatoriae febri alter analogus morbus, in quo praeexistente diu peticularum miasmate, et aliquo, sed minus forti bilis vitio sensim gignitur febris quaedam mali moris exanthematica, proferens purpuram singularem, in qua cutis cum pustulis, et vesiculis inordinate rubet cum magno ardoris cruciatu. Haec febris, quae nostris temporibus non infrequens est, adeo proteiformis est, adeo singularia phoenomena praebet, atque tam varias habet, multiplicesque morborum successiones contumacissimas, ut hujusce morbi, qui quodammodo novus haberi potest, et PELLAGRAE parens mihi videtur, tractatio hujusce loci esse non possit, sed peculiarem tractationem requirat, quae hanc confestim subsequetur.

maxime urgeri in hoc morbo video, sta-

cc Rarus non est quidam peticularum progressus, qui per dolores intestinorum incipit. Urina primum rubra est, atque parca, pulsus solliciti non sunt, nec exigui, et irregulariter contracti. Dum materies intestina deserit, et sanguini infunditur, pulsus frequentia minuitur ita, ut febris vix nulla esse videatur, quae crescit ex proportione, qua sudores urgent, minimaque vasa cutis subit materia morbifica, exanthemata non apparent ante diem undecimum, saepe serius; atque expulsio exanthematum, aut pustulas sine vesiculis, aut pustulas in vesicam partim abeuntes solet afferre; tempore imminentis eruptionis, pulsus parvi, et contracti, non celeres, atque animo aegri saepe linquuntur; ego sentio in hujusmodi morbo primum instar mali erysipelatis intestina affici, deinde materiem ad cutim transferri.

dd Quandoque porro bilis corruptae viridis copia per chiliferas vias ad sanguinem transit, quae peticularem febrem progenerat, eaque ad agendum excitat latens miliarium miasma.

Hae morborum postremo recensitae compositiones similes apparent, atque minus sagacem Medicum fallere possunt, licet reapse plurimum differant. In prima morbi compositione alvus adstricta esse solet, vomitus inanis adest, aut solummodo ingestorum, abdomen ad tactum dolet, dolore etiam ab uno in alium locum translato. Urinae utique partae sunt rubrae, et interdum turbatae: vehemens febris tenet cum pulsu aliquantum intestinali, et tenso. In altera autem dolores vexant in hypochondrio dextro, aut infra stomachum, et circa umbilicum; ano, et ore redduntur biliosa, saepe viridia, lingua etiam flavescit; urinae parcae, et biliosae sunt, densae, nebulosae; febris magna non est. Translata bile ad sanguinem conquiescunt dolores, aliquantum soporosi fiunt aegri, pulsus non adest frequentia, quandoque intermittit, sed ea ratione, qua malignus humor minima vasa subit, minuitur pulsuum amplitudo, et evidentior febris redditur cum pulsu denique contracto, et depresso: primum praecedit morbus peticularis, deinde sequitur milia-

tim ac miliarium miasma cutem ferit. Exitus, si cito peticulis pustulae adveniant, prompte per convulsiones lethalis; sed eo in statu calor cutis minor, quam in casu (80). Si peticulis longo intervallo

rium eruptio cum eo progressu, et iis symptomatibus, quae alias jam commemoravimus.

« Evenit autem quandoque, ut fere sine dolore abdominis materies bilis multum corruptae, atque omnino clanculum ad sanguinem traducatur; tunc autem aegri vix aegrotare videntur: sola pulsuum conditio, virium aliqua prostratio, et sensus cujusdam anorexia, et quaedam agripnia Medicum de latente morbo docebunt, quem jam procedentem monstrabunt, praesertim pulsuum, et urinae consideratio, viriumque cum aliqua somnolentia imbecillitas.

(4) Certum est a duplici diversae naturae miasmate proficisci peticulas, et miliaria: constat etiam peticularum venenum saepius sanguini inhaerere, miliarium autem miasma potius lympham afficere, atque hoc praesertim in minimis vasis, aut ipsa tela cellulosa, quin agat, posse latere. Idcirco evenit interdum, ut variis peticularis morbi temporibus, miliarium materia ad agendum excitetur. Rarum non est, quod absoluto etiam peticularum curriculo, cum jam extra omne periculum aeger esse videatur, denuo sine ulla causa accendatur febris, atque miliarium morbum caput efferat, saepius quidem mitis, sed interdum lethalis. Quod non raro observavi, atque visum est a *Felice Astio* (*Opusc. vol. VIII. p.* 97.), et *Lanteri* (*Hist. febr. epid. Niceae* 1776.). Hisce autem in casibus summa varietas in morbi progressu, et apparitione symptomatum consequitur, varia persistentia, atque actione horum miasmatum ex iis, quae pluribus locis dicta sunt, facile definienda.

Quando longo intervallo peticulas miliaria exanthemata subsequuntur, parva plerumque existit copia miasmatis, atque idcirco tamquam symptomata tunc habetur miliarium apparitio.

miliares pustulae succedant, salutis major spes est; progressus vero miliarium varius, et prout (75. 76. 77. 83.) traditum fuit.

Cum Variolis.

120. Miliarium morbi cum variolis juncti pauca solum exempla mihi adhuc contigerunt. Vidi lumborum dolorem acerbissimum fuisse, variolas primum erupisse, deinde miliares pustulas; post variolarum expulsionem febrem non remisisse cum pulsu molli, et validiusculo; sed contractionem, et celeritatem pulsus increvisse; variolarum incrementum miliares pustulas impediisse; tendinum motus frequentes fuisse; cum pulsu admodum tenso deliros factos aegros sexta, aut septima die interiisse. Minime silebo *granf*, maximum ex miliaris febris signis, fugacem tantum eosdem persensisse.

121. Planum est ex vario tempore, quo miliarium miasma se extricat, diverse etiam progredi morbum debere (1).

(1) *Varnier* (*Soc. R. de Paris III.* 288.) narrat historiam morbi variolarum per insitionem dati, in quo die septima morbi, et quarta eruptionis accessere symptomata gravia non variolis, quae rite procedebant,

Variolis ad suppurationis summum perductis supervenientem cum felici exitu purpuram albam enarrat *Elias Camerarius* (*h*), et variolas malignas, quas miliaris morbus sequebatur, descriptas dedit celeberrimus *Hallerus* (*i*). Casum foeminae, quae, post quartam miliarium expulsionem variolas passa est, peculiari disputatione enarravit *Gottlob Schacker* (*k*).

Cum Morbillis.

122. Duo (1) tantum similis complica-

(*h*) *Act. nat. cur. vol.* 2. *p.* 338.
(*i*) *Opusc. pathol: Lausannae* 1755. *p.* 120.
(*k*) *Polyc. Gottlob Schacker de febre acuta exanthematica aegram quinquies serie non interrupta invadente Disputatio. Lipsiae* 1723.

---

sed alteri caussae tribuenda, et altera die coeperunt erumpere miliaria exanthemata. *Geoffroy* (*ibid. p.* 32.) duo affert exempla variolarum cum veris miliariis complicatarum, in quibus eodem fere tempore utraque eruptio apparuit, monet tamen variolas primum erupisse.

(1) Ab eo tempore, quamquam frequens non sit hujusmodi complicatio, identidem vidi morbillos cum miliarium morbo complicatos. Iis, quae scripsi, adjiciatur tussim non modo cum aliquo clangore, sed etiam cum sibilo extitisse; post morbillorum eruptionem praeter morem aegros sudavisse. Ubi prompte morbillorum eruptioni successit miliarium apparitio, cum magno aestu, et jactatione cito deliros factos aegros fuisse sublatos; mortem vero effugisse, si aliquo intervallo hujusmodi eruptiones se se exciperent, atque difflata jam esset materies morbillorum. Semper autem periculum metitur miasmatis miliarium copia.

tionis casus usque nunc mihi se se obtulerunt. Animadverti faucium inflammationem, et tussim, quae morbillos praecedunt, vehementer afflixisse; cum magno calore erupisse primum morbillos, deinde iis successisse agminatim prodeuntes miliares pustulas. *Granf* multi extiterunt praeter reliqua symptomata (§. 73). Progressus, qualis in simplicissimo morbo miliarium.

Cum Febre scarlatina.

123. Scarlatinae progressus turbatur, et multum protrahitur, facile cutis intumescit, atque emphisemate afficitur. Sudores sunt varii, et recurrentes, materies morbosa facile ad fauces, aut intestina transfertur, urinae modo parcae, et subliventes, modo dilutae, licet turbidae, et ingenti copia veniunt. Sero cuticula decedit, multumque aegri periclitantur; si materies morbifica retrocedat ad fauces, pulmones, et intestina ex interna gangraenosa inflammatione pereunt.

Cum in scarlatina soleat cutis rubro colore suffusa post eruptionem scarlatinae nullo sudore madere, sudores violenti, et inaequaliter recurrunt, atque pustulae miliares efflorescunt, sed eae facile fuga-

ces, et minutae sunt, atque cum insigni calore cutis cito arescit. Dum miasma cutim petit, et se se efferre conatur, tendines subsiliunt, *granſ* pauci sunt, urinae tunc maxima copia veniunt; quinta saepe, sexta, aut septima die brevissimo temporis spatio in delirium vehemens aegri conjiciuntur, et convulsionibus dimidiae, aut ad summum unius horae spatio interimuntur.

Quod si pustulae non efflorescant, neque veneni magna copia adsit, vix scarlatina cursum suum peragit, sed utrumque miasma profundius in cute se se abscondit, et emphisema nascitur. Tunc pulsus contracti, breves, non solliciti, potius lenti, inaequales, minuti, plurimaque, ut diximus, pericula adveniunt, semper respiratio difficilis etc., varie autem morbus progreditur, prout morbifica materia aut in cute persistit, aut in circuitum rapta, interiores partes lacessit etc. Urinae ex resorpto miasmate scarlatinae, si sanguini tenuius haereat, fuscae, et parcae minguntur.

Cum Puerperio.

124. Unice restat, ut eam complicationem exponamus, quae ex puerperio

nascitur. Partus solet esse expeditior. Nunc febris statim post partum prehendit, nunc occasione febris *lacteae*, quae solito vehementior corripit, et eam symptomata (73) comitantur. Pulsus celer admodum est, lochia varie fluunt, aut subsistunt. Dolet saepius uteri regio. Dum vero sudores, aliaque (73) urgent, evanescit dolor miliariis pustulis efflorescentibus, quarum (80. 84.) exitus est. Lac plerumque parum fluit; alvus autem liquida persaepe est.

125. Si pustularum adventus uteri dolorem non tollat, aut hic pertinax vexet, nunc soporosae, nunc delirae, multum anxiae, demum continuo delirantes convulsae moriuntur.

126. Paucis verbis exposita fuit miliarium cum puerperio complicatio: ea enim tantum indicare voluimus, quae propria sunt miliarium miasmatis cum puerperio complicati; iis praetermissis, quae satis patent ex iis, quae dicta superius sunt de miliarium procedendi ratione, natura etc. Neque consentaneum duximus persequi ea, quae pertinent ad alterius generis exanthematicam febrem, atque multiplices compositiones, quae nascuntur ex

aliarum causarum additione, variisque puerperarum circumstantiis. Opportunum autem omnino erit monere eam distingui debere a vera miliari lactea, quae phoenomena miliaris morbi non habet, et offert eruptionem citam majorum vesicularum, quae potius in crure, et tybiis erumpunt, minus in pectore, et brachiis. Purpurae etiam benignae sine ulla malignitate subjacent puerperae, quae periculo caret; sed interim advertendum a sagaci Medico est, etiam verum miliarem morbum sub forma purpurae rubrae benignae procedere, atque neglectum, puerperam in periculum conjicere. Febris autem puerperalis, quae magnam cladem puerperis intulit, modo ad miliarem morbum ex mea opinione pertinet, modo ad eumdem cum peticulis conjunctum, adjuncta etiam bilis acris actione. Ad hanc dignoscendam conferantur ea, quae fuse tradita sunt in notis ad complicationem cum peticulis §. 119.

CAPUT SEPTIMUM.

PROGNOSIS.

127. *Acutorum morborum non omnino certae sunt praedictiones, neque mortis, neque sanitatis* ex sententia Hippocratis (*l*); sed in miliarium morbo quam maxime fallaces. Praedictionem autem plura difficilem reddunt; quantitas enim miliarium miasmatis justo aestimari nequit. Varia quoque aegrorum constitutio, et potissimum diversa cutis natura faciliores, et graviores convulsiones accersit, aut e contra. Quaelibet denique caussa pustulas deprimens, alias bene versurum morbum in feralem mutare potest.

128. Majus, aut minus periculum generatim pendet a miliarium veneni copia, ejus pravitate (1), humorum densitate, et

(*l*) *Aph. lib.* II. *n.* 19.

(1) Olim existimavi veneni hujusce naturam semper aeque malignam esse, atque ex veneni copia, atque aegri conditione morbi gravitatem esse repetendam; nunc Cl. *Burserium* sequor, et pravitatem adjungo, qui viderim evidenter saepius impraesen-

visciditate; cutis firmiori textura, et irritabilitate.

129. Robusti, sanguinei, strigosi, difficile perspirantes, herpete, aliisque similibus cutis vitiis primum affecti, podagrici, vini potatores, et quos longa moestitia depressit, magis periclitantur.

130. Mollioris e contra texturae homines, et imbecilli a morbo facilius evadunt. Foeminae etiam prae masculis convalescunt.

131. Cito, et in salutem evasurum morbum auspicari potest Medicus, quando symptomatis convulsificis (73) abeuntibus, pulsu molli, et magis amplo reddito, pustulae grandescunt multo sero plenae.

132. Dolor capitis ante quartam diem repente (1), maxime in sanguineis, evanescens malus est.

tiarum remissiorem esse morbi malitiam cum illa comparatam, quae a nobis olim adnotata est.

(1) Haec propositio respicit praesertim dolorem capitis intensiorem, et gravativum, qui cum multum afflixerit, repente evanescit. In iis autem, qui sanguinei sunt, hujusmodi repentina quies maxime timenda, cum indicet ita sanguinem in minimis vasis ae-

133. Pulsus valde contractus (1) persistens majorem morbum, et copiosiorem pustularum eruptionem portendit. Si parum sollicitatus fuerit tempore expulsionis, multum aeger periclitabitur. Pulsus sollicitatio non se sustinens, sed frequente recurrens cum pulsu intervalli tempore potius tardo, et suspensae veluti pulsationis, etiam quandoque intermittentis, mali ominis est; res bene non vertet, si tempore eruptionis pulsus contractus pulsationem habuerit perpendicularem; magnum etiam imminet periculum, si dum pustulae exeunt, contractio pulsus continuo diminutam pulsationem exhibeat ita, ut demum in contractione veluti subsistat, repetente deinde sollicitatione pulsus, aut, quod pejus est, nova sollicitatio per aliquod tempus non redeat, pulsu inae-

cumulari, ut ex pressu sensus doloris adimatur. Idem judicium ferendum non est de doloribus capitis lancinantibus, qui translato miasmate solent cessare; quamquam et hos ex integro repente cessare malum est, sive quod pars aliqua miasmatis in capite remaneat cerebro non sentiente, sive quod celer fiat miasmatis ad cutim raptus, qui semper periculosus est.

(1) Semper tamen habenda ratio est aegri aetatis, et constitutionis; in foeminis enim maxime mobilibus, ex. gr. contractio pulsus aliquando insignis est, quin majus periculum denunciet, neque solum considerida est arteriae angustia in contractione, sed vis maxima, et persistentia, aut duratio temporis contractionis.

quali existente. Perniciosum est pulsum post expulsionem adhuc contrahi, et valde accelerari. Si porro hisce tensio adjungatur notabilis, atque pulsatio sit totalis arteriae, jam imminent convulsiones.

134. Sudores quo magis diffusi, et praecociores, eo pejores; praecipue si pulsus magna contractio una sit. Acidum vix olentes, et aquosi mali sunt. Quo fortius acidum olent, eo plerumque diuturnior morbus expectandus est. Boni sunt ii, qui visciditatem aliquam habent, neque cum magno impetu prodeunt, sed majori quadam aequalitate procedunt. Sudores circa collum, et pectus, atque fortissimi ad caput artubus non sudantibus mali. Sudores cum magno impetu recurrentes, atque prompte subsistentes multum periculosi.

135. Urina incerta, et fallax (1) nota

(1) Negligenda procul dubio non est urinarum inspectio, suasque non ambiguas habet significationes, si una simul ratio habeatur aliorum symptomatum, atque aegri status. Cum tamen interdum non sagacissimos, atque accuratos Medicos fallere possit, atque omni nota bona appareat, rebus tamen in magno discrimine, atque periculo positis; idcirco incertam, et fallacem notam esse affirmamus. Si bilis quidam aestus una adsit incipiente morbo,

est. Mala, quae prompte ex rutila in aqueam mutatur. Constanter, et diu aquea etiam periculosa. Albescens, et veluti serum lactis turbata lymphae solutionem, et muriatici salis fusionem indicat, et morbi plerumque diuturnitatem. Copiosiora fila in urina obvolitantia uberiorem expulsionem exanthematum indicant. Si viscida lympha venenum intra cutis vasa retineat, et parum omnino exanthemata se efferant, haec fila mutantur in tenias, aut laminas albentes, aut floccos, qui diffusam albam nebulam exhibent non ita facile subsidentem. Hujusmodi urinae insignem futuram esse morbi longitudinem significant.

aut excitetur progrediente, et provecto, eo nimirum tempore, quo urina aquea esse deberet, aut flavescens erit, aut etiam qualis sanorum. Facta interdum expulsione exanthematum, dum ea commode se se efferunt, urina et hypostasim dabit, sed ei fidendum non erit. Urina aquea mali ominis est, sed ab ea tantum timendum non est in iis, qui ad spasmos nervorum faciles sunt: e contra in sanguineis longe majorem metum incutit. Interdum etiam evenit, ut propter lymphae visciditatem cum difficultate erumpant exanthemata, atque succedat ex forti affrictu lymphae resolutio, profluantque post eam urinae confusae, et turbatae, quas iterum evecto miasmatis stimulo vasorum constrictionem augente iterum excipiunt urinae naturalem urinam referentes, et Medicos minus cautos decipientes, sed haec postremo recensita urinarum qualitas apparitio frequentius in complicato morbo contingit.

136. Stuporis illius pungitivi *granf* dicti frequentia, et sensatio plurimis in locis insignem miasmatis copiam arguit. Justam metus caussam praebent ii, qui in facie persentiuntur (1). Si cum pulsu contracto, sudoribus diffusis, urinis aqueis, aut tenuibus, aliisque hanc miasmatis copiam denunciantibus, *granf* leves sint, et rari, perniciosum est; significat enim venenum viscida lympha irretiri, quae opportunam pustularum eruptionem impediet.

137. Febris vehementia in prima periodo graviorem morbum non efficit, cum ea non ex miliarium miasmate, sed ab alia causa pendeat, minimeque in simplicissimo, sed in simplici, et complicato morbo contingat. Tunc autem ad praedictionem inquiratur, quid caussa febrem movens ad miliarium pustularum progressum conferat.

138. Eruptionis tempus quo citius ad-

(1) Frequens non est hujusce stuporis sensatio in capite; caussae vero hoc phoenomenum afferentes solent esse multum imminuta permeabilitas vasorum cutis in partibus inferioribus, magna miasmatis copia, sanguinis rarefactio, et impetus ad partes superiores. Perniciosum autem est miasma, qualibet ex caussa id fiat, ferri quodam impetu ad caput, cum citius plethoram capitis, delirium, atque convulsiones accersat.

venit ; eo pejus. Tertio aut quarto die exeuntes pustulae septimo, et octavo plerumque lethales (1); minus funestae quas sexta dies affert. Serius advenientes frequenter bonum exitum habent, nisi cutis, aut humorum densitas magna, aliusve morbus citiorem pustularum eruptionem prohibuerit.

139. Quo citius apparent, plerumque diutius protrahitur morbus, per plures vices (77) exanthematis efflorescentibus.

140. Minutae pustulae mali ominis sunt, maxime si multae fuerint. Quae dum exeunt, non puncturam, sed pruritum faciunt, malae etiam habentur.

141. Quo copiosiores, et magis foras pustulae exierunt, eo promptior, si subsideant, mors accedit. Quae modo subsident, modo efferuntur, longam saepe aegritudinem pariunt.

142. Pustulae minus acuminatae deteriores ; livescentes, et minutae pellucidae malae, uti etiam, quae tantum circa collum, atque in pectore conspicuae

(1) Nisi agatur de mitiori morbo §. 74. 75.

sunt; pessimae, si circa mentum appareant; bonae, quae cito puncta elevata rubra referentes in vesicas grandiores abeunt; et quae sub digitis facile disrumpuntur, sed et his omnino fidendum non est.

143. Ea pars corporis, quam tenuit miasma miliarium sub forma rheumatismi, aedematis, doloris paralyseos etc. solet prae reliquis copiosius sudare, atque in ea foras venit longe major quantitas pustularum.

144. Pessimum est pustulas deprimi, aut disparere, et eo in statu aegros vomere (1); minime, aut male videre; cum strepitu potulenta ingurgitare, singultire, et loquaces balbutire.

145. Post eruptionem permanentia, et fortiter vexantia symptomata convulsifica (73) mali ominis sunt. Si aeger summopere timeat, et spem salutis abjiciat, vel cum gravi terrore, ac corporis concussione expergiscatur, valde periclitatur.

(1) Nullum ex iis, qui vomuerunt, licet etiam per aliquot dies protractus morbus fuerit, vidi servatum; hujusmodi enim vomitus convulsivus est, atque nervos praecordiorum spasmo tentari significat.

146. Cutis post expulsionem minime tumefacta malum indicium praebet; male etiam praedicendum, si eo tempore ex appositis cucurbitulis cutis non elevetur; vel epispastica vesicam non excitent (1), aut excitatum ulcus cito arescat.

147. Convulsiones, quae morbum inchoant (2), aut ante expulsionem nascuntur, fere semper solvuntur; exitiales autem sunt, quae pustularum subsidentiam consequuntur.

148. Stillae (3) sanguinis e naribus,

(1) Haec omnia vim irritabilitatis, et cutis permeabilitatis adeo imminutam esse indicant, ut nulla spes esse possit convenientis progressus eruptionis.

(2) Innumeris exemplis hoc assertum confirmatum vidi, neque convulsiones morbum inchoantes hominem sustulerunt, nisi capitis plethoram jam habentem prehenderint, neglectaque fuerit venae sectio. Observavi etiam ex miliarium miasmate jam ad cutem delato, partimque resorpto, cerebrumque petente convulsiones varii generis fuisse subortas diutissime etiam aegros vexantes, quin tamen eosdem e medio tollerent, easque denique cessasse, posteaquam iterum miasma ad cutim delatum fuisset, atque exanthemata miliaria iterum effloruissent.

(3) Quum nihil magis periculum augeat in hoc morbo, quam capitis plethora, jam patebit, cur stillae sanguinis funestae sint, atque ab haemorrhagia, quae post expulsionem conquiescit, metuendum sit; sive enim illa ab aestu, aut determinato motu sanguinis ad caput, aut ex ejusdem plenitudine haemorrhagia nata fuerit (quod evenit saepius in san-

quocumque tempore, funestae sunt. Ab haemorrhagia, quae post expulsionem conquiescit, metuendum est. In casu (83. 84) haemorrhagia, licet copiosa, non juvat.

149. Sanguis ex vena secta extractus si continuo coccineus, et sine sero sit, multum metuendum est (1) de aegri vita servanda; maxime si praecox copiosa pustularum eruptio fiat.

150. Ex adductis eruitur prognosis morbi complicati, si illa etiam considerentur, quae in varii hujus morbi diagnosi dicta fuere. Extra dubium est morbi complicationem ejusdem periculum plerumque augere pro varia morbi adjuncti indole. Pessima omnium est miliarium cum variolis conjunctio.

guineis, et juvenibus) bonum est haemorrhagiam post expulsionem moderate adhuc repetere. In casu (83. 84.) haemorrhagia hujusmodi symptomatica est, atque vires infirmat, maxime si copiosa sit, quae servandae sunt, ut natura possit cutim aperire, atque viscidum sudorem promovere.

(1) Hujusmodi sanguinis coccinei, seroque destituti constantia significat jamdudum miasma in corpore latuisse, atque serum expressum fuisse, neque idcirco sperari licet a denso hujusmodi sanguine convenienter se se posse miasma expedire, ut bene morbus procedat.

151. Recidiva expectanda si morbo soluto nulla, aut pauca sequatur cuticulae decidentia; persistant vero aliqua ex symptomatis convulsificis, atque acidum adhuc oleat perspiratio, redeantque noctu sudores.

CAPUT OCTAVUM.

EXTISPICIA.

152. Hominum hoc morbo ereptorum cadavera cito intolerabilem foetorem emittunt (1), et intumescunt. Calorem tena-

(1) Anno 1762. prodiit *Joannis Fantoni* specimen observationum de acutis febribus miliariis, opus postumum curante auctoris nepote; ibi celeberrimus auctor, nostri gymnasii decus et ornamentum pag. 193. 96. referens observata quaedam, in cadaveribus maxime puerperarum, narrat eorum cadavera in cruribus, dorso, lumbis etc. livore affecta fuisse, et fere nigricantia; tempore etiam frigido, plurimum foetere cadavera consuevisse, e naribus sanguinem defluxisse, in cavo ventris et pectoris paullum seri, alias sanguinolenti, alias turbidi repertum fuisse: in puerperis nonnullis, quarum acutus morbus in lentum abierat, variis in partibus ventris apostemata apparuisse; frequentius adfuisse humorum stagnantium indicia, vel inflammationis viscerum, modo uteri et adjacentium partium, modo

cissime servant; et naribus saepe non sine vehementia sanguis exilit.

153. Virum, quem miliarium morbus sustulit (*m*), et puellam ex eadem aegritudine defunctam Berolinenses secarunt, praeter vasa venosa summe turgida nihil memorabile observantes. Eadem concreto cruore plena reperta fuisse testatur *Fridericus Hoffmannus* (*n*). Quo tempore primum in hac urbe vagari coepit haec febris cum nobilium puerperarum clade, a vigilantissimo Rege nostro mandatum est, ut anatomica dissectione in morbi naturam inquireret *Joh. Baptista Bianchi*, qui tunc Anatomes Professoris munere fungebatur, nunc Magistratus Medicorum Princeps est. Is autem certiorem me facit se reperiisse quandoque uterum aliquo loco inflammatum, veram autem mortis cau-

(*m*) *Act. Berolin. Dec.* 1. *vol.* 2. *p.* 75. 76.
(*n*) *Med. sist. tom.* 4. *pag.* 206.

ventriculi, atque intestina tenuia, vel inter se, vel cum peritonaeo conglutinato, saepe gelatina quadam putrescente obducta; pulmones majori ex parte infartos sanguine, et aliquando liventes; recenset etiam ex observatione anonymi in actis Medicorum Berolinensium in dissectione mulieris gravidae, et ex miliari febre defunctae pluribus locis observata fuisse in tunicis majorum venarum, praesertim cavae, et variis abdominis locis emphysemata, quae vocata fuerunt hydatica.

sam scalpelli aciem effugisse. Ego ipse cum simplicissimo miliari morbo sublatum anatomica dissectione investigarem, vasa venosa capitis maxime sanguine distenta, nihil insuper adinveni.

CAPUT NONUM

MILIARIUM A NONNULLIS ALIIS EXANTHEMATIS DISCRIMEN.

154. Praeter symptomata convulsifica (73), et aliquot alia hujusce morbi peculiaria (1), sudoris nempe acidum olentis impetus; pulsus cum urina aquea contractionem; minorem, quam in reliquis exanthematis, ante eruptionem febris vehementiam; nec non propriam cujuslibet

(1) Certo propria habet hic morbus signa pathognomonica producta ab actione hujusce miasmatis, quae sunt praesertim pulsus contractio cum sudoribus acidum olentibus, importunis sub quocumque regimine, sensu stuporis pungitivi potissimum in digitis, urinis tenuibus, et aqueis, ut omittam symptomata convulsifica, pustularum naturam, atque alia, quae in diagnosi morbi enarrata sunt. Minime verum igitur est essentialem morbum non esse, et non habere signa sua propria instar variolarum, morbillorum etc.

exanthematis juxta naturam suam invadendi rationem, pustulae ipsae etiam se se distinguunt.

155. In febre scarlatina aequali rubore tota cutis perfunditur absque pustulis. Morbillorum pustulae in pectore, in facie, et reliquo corpore prompte agminatim erumpunt, nec in vesiculas abeunt, et majorem faciunt cutis ruborem, quam miliarium exanthemata. Purpura rubra (o) plerorumque Auctorum non solum pustulas multas, sed et etiam vesiculas interdum affert; verum in hoc morbo pustulis interceptae areae vehementer rubent, pulsus (1) autem validus, et amplus est. Qui omnia perpenderit, et una comparaverit, is videbit non difficile hasce singulas exanthematicas febres inter se distingui posse.

(o) *Haec a quibusdam dicitur febris miliaris benigna.*

(1) Praeter ea discrimina, quae praebent propria symptomata horum morborum, non omissa efflorescentiae consideratione, quae diversa in singulis est, proprio etiam pulsu singulae distinguuntur; in scarlatina maxime celer sollicitatus pulsatione minori pulsus est; in morbillis paullo elatior, et veluti acuta pulsatio est cum paullo minori celeritate; in variolis utique etiam sollicitatus, et externus pulsus est, sed cum quadam tensione, et sensu cujusdam plenitudinis; in febre miliari longe minus celer, quam in scarlatina, pulsationes non acutae, ut in morbillis, sed in fine systolis validior contractio.

CAPUT DECIMUM

REMEDIORUM EVENTUS IN MORBO NON COMPLICATO.

156. Venae sectio in prima periodo minime pertimescenda, et gravius peccatur, ea neglecta, quam si paullo liberalior extiterit. Vehemens febris, delirium, et reliqua gravia symptomata (76) alterius periodi venae sectione non sedantur; imo convulsiones, et mortem ab ejus usu accelerari vidi.

157. Emetica, quae sine purgatione operantur, promptiorem, et faciliorem, sed non mitiorem exanthematum expulsionem reddunt.

158. A purgantium antiphlogisticorum repetita adhibitione retardari in morbo non complicato, et cum aegri manifesta utilitate omnem quandoque exanthematum expulsionem prohiberi pluries observavi. Post expulsionem purgantia nocuerunt.

159. In aegri perniciem efficaciora diaphoretica praescripta fuisse animadverti (1). In prima periodo eruptio festinat ex eorum usu; in alterius periodi casu (76) febrim, et calorem adaugent, quin exanthemata propellant.

160. Antiphlogistica ex acidis eruptionem remorantur (2). Assiduus et multus eorum usus in altera periodo nocumento non caret.

(1) Circa usum diaphoreticorum ne tyrones in errorem deducantur, quaedam animadvertam. Diaphoretica efficaciora condemno; minime autem mitiora, quae non raro opportuna etiam sunt in altera periodo simplicis, aut simplicissimi morbi. Haec revera condemnatio diaphoreticorum locum non habet in quibusdam miliaris morbi complicationibus, quae imo talia medicamenta requirunt. Praescriptio remediorum aptanda est rerum circumstantiis, et morbi compositioni. Nolui autem ab hoc monito abstinere, quod summe tyronibus necessarium esse judico, ne huic propositioni inhaerentes, in omni morbo miliari diaphoreticorum usum pertimescant, atque eos sequantur, qui putant in hujusce morbi curatione perpetuo esse attemperantibus incumbendum, omnino metuentes ea medicamenta, quae vim habent antisepticam, abstergentem, saponaceam.

(2) Acida mineralia perniciosa observavi; acida vero vegetabilia, licet adhiberi etiam tuto possint, miliarium venenum non emendant. In alterius periodi progressu, ubi praesertim humores putridam subeunt degenerationem, adhiberi utiliter possunt. Curandum autem est, ne ex uberiori eorumdem praescriptione motus nimius deprimantur.

161. Absorbentia neque chilum morbi impetum, aut atrocitatem fregerunt; magnam autem diluentia, emollientia, acescentia utilitatem attulerunt.

162. Ex vesicantium usu excitatum ulcus pustularum eruptionem non sustulit, aut imminuit; neque male erumpentium, aut repercussorum exanthematum materiam deduxit; nisi quando viscidae lymphae miasma inhaesit. In simplici morbo pertinacem rheumatismum, ac dolorem solvit ad afflictam partem proxime admotum epispasticum. Vesicantium actio pulsum elevat, et eruptionem sollicitat. In statu (76) vesicantium ulcera plerumque exsiccantur; eoque tempore applicita epispastica perniciosa sunt, aliquando utilia in casu (83).

163. Frictiones excitant exanthemata lente, et difficulter erumpentia, tum etiam, in casu (83), subsidentia. Inquietos, et convulsionibus jam fere prehendendos aegros etiam levant.

164. Eadem fere praestant cucurbitulae, si maxime cum scarificatione sint. Inquietudines, et advenientes (76) convulsiones aliquando moderantur, aut fu-

gant, eaeque utilius adhibentur in statu (83). Delirium (76. 80) magna cum scarificatione occipiti apposita cucurbitula aliquando sedavit; hoc remedii genus efficacius visum est, quando delirium aut in prima periodo, aut initio secundae (106) advenit.

165. Fotus in secunda periodo adhibiti, sive ad pedes, sive ad artus, per lintea calida, et humentia eosdem involvendo, utiles admodum sunt. In casu (76) ad calorem moderandum, cutis siccitatem tollendam, et convulsiones arcendas, aut sedandas nihil magis conducit, quam fotu moderate calido quantum licet corporis mollire, et fovere.

166. Vesicularum miliarium disruptio nullius est emolumenti; nam disruptae vesiculae prompte repullulant, neque sero vesicularum elicito minuuntur symptomata.

167. Convulsiones denique, quae pustularum eruptionem sequuntur, nec opiatis, nec antispasmodicis obediunt.

CAPUT UNDECIMUM.

NUM ANTE LIPSIÆ EPOCAM VISA SIT MILIARIS FEBRIS.

168. His expositis, quibus historia morbi continetur, anteaquam in ejus naturam inquiratur, opportunum videtur investigare, num revera novus morbus, et veteribus ignotus sit miliarium febris; quod ut accuratius statuamus, praecipuas, quae ad rem nostram faciunt, Auctorum observationes afferemus.

169. Medicinae parens *Hippocrates* pluribus locis pustularum in febribus advenientium mentionem habet. Pustulas vero a *culicum morsu* productas observavit in *Fullone*, *Pherecyde*, et *Euphranoris filio* (p), quas *asperitudines cutis miliaceas* nominat, ubi aestivas febres, quibus mulieres vexabantur, describit (q). *Pustulae pruriginosae*

(p) *Lib. VII. de morb. popul.*
(q) *Lib. II. sect. 3. de morb. popul.*

calidae velut ambusta cute per totum corpus in Andrea circa vigesimamquintam efflorue-runt (r). *Timonactis filio ferme bimestri in cruribus, et in coxis, et lumbis, ac imo ventre, et tumores valde rubicundi: his autem sedatis convulsiones, et comitiales fiebant sine febribus multis diebus, et mortuus est* (s). *In Sileno octava die papulae cum sudore rubrae, rotundae, parvae veluti vari permanebant, non abscedebant.* Pronunciavit etiam Hippocrates: *quibus in febribus continuis pustulae per totum corpus erumpunt, lethale, si non purulentus abscessus fiat, maxime autem circa aurem his fieri solet* (t). Inquit etiam: *quibus salsa sputa cum tussi subsistunt, iis corpus velut efflorescentibus pustulis rubescit, ante obitum vero exasperatur* (u). Haec potissima sunt loca *Hippocratis*, quibus miliarium morbum indicari nonnulli volunt. Ego quandam quidem miliaris morbi imaginem aliquibus in locis exhiberi video. Tanti vero non est, ut evincat, revera iis locis Hippocratem de miliariis exanthematis fuisse locutum.

(r) *Lib. VII. sect. 2. Epidem.*
(s) *Ibid.*
(t) *Coac. praen. sect. 1.*
(u) *Coac. praen. sect. 2.*

170. Hippocrati coaevus celeberrimus Scriptor *Thucydides*, atrocem Atheniensium pestilentiam describens (*x*), ait: *et corpus quidem exterius tangenti non erat admodum calidum, neque pallidum, sed subrubrum, lividum, parvis pustulis, et ulceribus efflorescens; interiora vero ita flagrabant, ut neque tenuissimorum vestimentorum, aut linteorum injectiones sustinerent, neque aliud quidpiam praeter nuditatem, et libentissime in aquas gelidas se conjicerent. Galenus* narrat (*y*) in pestilentia, quae prolixiorem aestatem est consecuta, quibusdam *corpus circumundique scatuisse pustulis nigris, paullatim deinde siccescentibus, et veluti squama decidentibus. Avicenna* (*z*) signa febris pestilentis referens nonnulla recenset etiam miliaris febris propria, *anhelitus nempe difficultatem cum magna respiratione, urinas interdum aqueas, sudores foetidos etc.* Quod vero ad rem nostram maxime facit, addit: *quandoque accidit cum ea bothor subalbida, et rubea, et quandoque est velocis apparitionis, et velocis occultationis. Nicolaus Massa* (*a*), ubi agit de carbonibus, et

(*x*) *Thucydidis de bell. Pelopon. lib. VIII. cum notis Josephi Wase, et Andreae Ducheri. Amstelodami* 1731. *fol. vide lib. II.* §. 47.

(*y*) *De atra bile cap.* 4.

(*z*) *Lib. IV. fen.* 1. *tr.* 4. *c.* 2.

(*a*) *De febr. pestil. etc. lib. Venetiis* 1540. 4. *vid. cap.* 6.

aliis tuberculis, observat *eos nunc magnos, nunc parvos, nunc duros, nunc in vesicam abeuntes, easque modo magnas, modo parvas esse.* Observationem febris pestilentis cum pustulis refert *Johannes Baptista Montanus* (*b*). Qui peculiarem autem de febre pestilenti librum scripsit, *Petrus Salius* (c), exanthematum, quae febribus pestilentibus superveniunt, differentias accurate prosequitur. Animadvertit autem *differre colore, quoniam alia alba sint, flava alia, alia rubra, punicea etiam, aut nigra, distingui etiam magnitudine, quibusdam milii semen vix aequantibus, aliis superantibus, ita tamen ut viciae majoris magnitudinem raro excedant.* Monet autem, iterumque monet *cum peticulis non esse confundenda.* Eadem post *Petrum Salium* fere repetit *Lazarus Riverius* (*d*).

171. Sed omnino ad miliarium morbum referendae mihi videntur pustulae, quas vidit *Diemerbroek* (*e*) anno 1636. in duabus mulieribus peste Noviomagi correptis. *In muliere febri pestilenti correpta* (*f*), *quae*

(*b*) *Consult. medic. cent.* 2. *Venetiis* 1559. *vid. p.* 598.
(*c*) *Vid. cap.* 18.
(*d*) *Prax. med. lib.* 17. *sect.* 3. *cap.* 1. *de febr. pestilent.*
(*e*) *Tract. de pest. histor. XXVII. et C.*
(*f*) *Histor. XXVII.*

nullum pestis externum signum habuit, ait, *nona die apparuerunt pustulae parvae*, *rubicundae*, *magnitudine milii seminis in toto corpore. In inguine etiam bubo ovi columbini magnitudine protuberavit*, *atque sic aegra convaluit. Uxor Lamberti de Schermbeeck* (g) *peste correpta nullum externum pestis signum habuit. Quarta die totum corpus phlegmonoso quodam rubore suffusum*, *et exiguis pustulis non majoris*, *quam milii seminis magnitudinis obsitum fuit. Hinc anxietatem multum levatam fuisse sensit. Verum aegra sudoris foetorem fastidiens*, *me nesciente*, *indusium mutavit*, *et sordido abjecto aliud nitidum induit*, *quod tamen prohibueram. Hinc protinus evanuit tota illa corporis rubedo*, *et pustulae quasi exsiccatae subsederunt. Febris acutissima cum maximis anxietatibus*, *et capitis doloribus accessit*, *quae aegram intra sex horas jugulavit.* In adnotationibus autem ad hanc historiam habet raro pestilentem febrem tali modo solutam fuisse; *quibus haec exanthemata eveniebant*, *evadere*, *nisi sudorem contemnerent*; *et pustulas primum exsiccari*, *deinde cuticulam decidere.*

172. Peticularum, quae Tridenti anno 1591. grassatae sunt, differentias exponens

(g) *Hist. C.*

Octavianus Roboretus (*h*) innuit *ab aliis cutim non elevari, neque asperam, aut inaequalem reddi: alias vero, (quod rarissime eveniebat) exiguorum tuberculorum instar, atque variolarum, quae tamen rarissime admodum suppurari visae sunt, fuisse paullo elatiores.* Peticularem etiam febrem *Petrus a Castro* (*i*) distinguit *in pulicarem, et culicarem. Prima nullam prorsus elevationem in cute producit, altera aliquam, aut etiam vesiculas, seu hydatides, quae non carent sua malignitate.* Verum peticularem febrem, in qua primum peticulae, deinde miliaria exanthemata effloruerunt, diligenter narrat *Lazarus Riverius* (*k*).

(*h*) *Tr. de febr. peticul. etc. Tridenti* 1592. 4. *v. p.* 180.
(*i*) *De febr. malign. puncticulari* §. 7.
(*k*) *Obs.* 21. *C.* 1. *de febr. purpurata. Die* 18. *mensis junii anni* 1630. *Gratianopoli vocatus fuit ad D. de Chapullay febre continua laborantem ab octo diebus. Pulsus erat valde frequens, et inaequalis, et corpus totum exanthematis purpureis refertum. Decimaprima die aeger delirio, et convulsionibus vexabatur. Decimaquarta die paullo melius se habuit. Decimasexta die pustulae quamplurimae animadversae sunt instar variolarum ad suppurationem tendentes magno quidem numero circa vesicatorium, tum sparsae per dorsum, lumbos, et nates. Decimaseptima praedictae pustulae majori ex parte eruptae apparuerunt, et ad exsiccationem tendentes, verum in parte anteriori circa hypocondria, et pectus pustulae perexiguae pellucidae, et diaphanae humore seroso refertae infinito propemodum modo apparuere etc.*

173. Experientissimus sui aevi Medicus *Johannes Crato* (*l*) consilium dedit pro Barone dolore capitis afflicto post febrem, quam ipse quidem peticularem vocat, at mihi miliaris potius vocanda esse videtur. *Huic etenim viro post capitis dolorem, et pectoris gravitatem, quibus multis diebus vexatus fuit, tandem una nocte in toto corpore eruperunt exanthemata rubra, minime lata, quae in pectore evanescere paullo post coeperunt. In manibus autem quasi papulae aliquid humoris conceperunt, et ichor effluxit. Cum maximo pruritu tota cuticula renovata fuit. Cum vero erupissent exanthemata, et papulae, copiosissime quinque noctibus sudavit etc.*

174. Febrim quamdam esserosae nomine describit *Zacutus Lusitanus* (*m*) in duobus pueris observatam, *quibus cum febre valida, dolore totius corporis, et lassitudine una nocte pustulae in superficie corporis affatim apparuere, et ita increvere, ut matutino tempore pueri scalpentes eas disrumperent, a quibus emanavit tenuissimus ichor, . . . et nova materia ad cutim confluente aliae de novo pullularunt pustulae aliis jam exsiccatis . . . Sanguine misso, julapiis pti-*

(*l*) Consiliorum Medic. lib., opera, et studio Laurentii Scholzii. Francofurti ad Moenum 1598. v. p. 814.
(*m*) Prax. admir. lib. III. obs. 16.

sana, *et levi solutivo ulcera sponte siccata*, *et sic puelli sanissime deinceps vixerunt.* Consimilia serosa exanthemata observavit *Carolus Piso* (*n*), qui refert in *nobili puero detento febri vehementi*, *quam comitabantur magna lassitudo*, *et summa pectoris angustia*, *et dolor capitis*, *quarta die post vigilias*, *et delirium maculas in toto corpore apparuisse*, *maculas autem sensim elevatas fuisse non in acumen*, *et conum*, *sed longe*, *lateque admodum*, *ut universa facies*, *una cum toto corpore non sine horrore spectantium admodum intumesceret*; *eae autem sero ebulliente turgebant*, *ut totum corpus vesiculis scatere videretur etc.* Num hae *Zacuti*, et *Pisonis* observationes ad miliarium morbum pertineant, videant alii; mihi quidem alterius naturae fuisse videntur; et *Pisonis* exanthemata ad urticatam quandam febrem referrem.

175. Qualia in miliari febre exanthemata efflorescunt, ea etiam in variolis ab *Avicenna* (*o*), et *Epiphanio Ferdinando* (*p*) observata sunt. Qui *Mortonum* aetate consecuti sunt Medici ea plerique adno-

(*n*) *Observat. Selecti lib. Sec.* 5. *cap.* 4.
(*o*) *Lib.* 4. *foen.* 1. *tr.* 4. *cap.* 6.
(*p*) *Historiae centum. Venetiis* 1621. *v. p.* 234.

tarunt, et *lymphaticas* variolas dixerunt. In angina vero gangraenosa minutae pustulae in collo, et pectore saepe videntur (*q*); imo in ea gangraenosa angina, quae novae Angliae viginti, et amplius abhinc annis funesta admodum fuit, et a Gulielmo Duglass (*r*) describitur, pustulae in toto corpore nascebantur.

176. Ex observationibus itaque *Diemerbroek* (171), *Cratonis* (173), *Riverii* (172) colligi potest vera miliaria exanthemata ante Lipsiae epocham jam visa fuisse, et miliaribus similia in peste (170), peticulis (172), variolis, et angina maligna (175) occurrisse: ubicumque nempe gangraenosam indolem humores nostri adepti forent; videmus enim in gangraena etiam a causa quacunque similes exoriri malignas vesiculas.

177. Integra vero nostri morbi progressus historia ostendit ex Lipsia petendam esse morbi originem, et idcirco tamquam

(*q*) Vid. *Marcum Aurel. Severinum de pestilente, ac praefocante pueros abscessu*, et *Fothergill l. c. p.* 22.
(*r*) The *Practical history Of an epidemical feaver with an angina ulcusculosa. Boston in New England* 1736. 8.

novum morbum ex contagio (*s*), non ex mutata victus ratione, aut curandi methodo invectum esse considerandum.

178. Quaenam vero caussa morbum Lipsiae excitaverit, plane ignoratur: ea etiam latuit praestantem, et accuratum *Velschium*, qui morbi novitatem primus agnovit. *Conradus Trumphius* (*t*) ait *ex nonnullorum opinione Lipsienses a Polonis morbum contraxisse, et hos a Moscoviticis, qui cadavera humana olim comedebant.* Mihi liceat suspicari pestis seminium esse, quod ea ratione propter coeli diversitatem degeneraverit (1). Pestis seminium miliaria

(*s*) Per hominum consortium aëris ope morbum communicatum fuisse planum, apertumque esse puto (§. 58.); aliquando etiam contactu se se multiplicavit. Narrat Joseph Grunwald (v. app. ad vol. 6. p. 42.) *interdum contigisse, ut, cùm aegri assistentium manus deoscularentur in gratiarum actionem, ab osculo macula excitaretur, in cujus medio pustula veluti variolosa excrescebat etc.* Hanc ad rem confirmandam singularem adducam observationem. Nobilis Matrona filiae suae hoc morbo detentae diligentissime assistens, et frictiones ipsa exercens retulit pustulas miliares in manibus, et brachio sine incommodo efflorescentes; talis efflorescentia quum aliquamdiu perdurasset, et ex improviso evanuisset, simili morbo paullo post laboravit.

(*t*) *L. c.* §. 11.

(1) Haec etiam est opinio, quam protulit *Le Pecq de la Cloture Journal de Médecine décembre* 1786. *p.* 436.

exanthemata anno 1637. produxisse nos docet *Diemerbroek* (171). Sudor Anglicus (1) praeterea miliari febri analogus morbus in Anglia ortus est ex pestis miasmate, quod ex Rhodo insula milites Henrici septimi Gallorum Regis in Angliam transportarunt (*u*).

(*u*) V. *Freind hist. med.*, et *Ragionamento sopra il contagio pestilenziale, di Riccardo Mead, tradotto in Toscano ec. Firenze* 1734. V. *p.* 5.

(1) Sudatoria febris Picardorum, quae aliquam cum sudore Anglico affinitatem habere videtur, certo miliaria exanthemata saepe protulit ex clarissimorum Gallorum observationibus.

CAPUT DUODECIMUM.

MIASMATIS MILIARIUM PROPRIETATES.

179. Aëris ope ex hominum consortio (58) multiplicatur, et diffunditur (1).

(1) Meam opinionem allatis exemplis abunde confirmat *Burserius l. c. p.* 569. *et* 570.

180. Per aliquod tempus, et diu etiam innocuum (19. 21. 34. 36. 37. 45. 50. 87. 96.) in corpore hospitatur.

181. Peculiari, et propria vi solida, et nervos potissimum convellit, et tendit (72. 73).

182. Sanguinem, et praecipue lympham cogit (95. 96).

183. Plerumque primo vasorum lymphaticorum (1) inflammationem facit, quae resolvitur (95); postea etiam sanguineorum (2).

(1) Venenum miliarium lympham primum cogit, et vasa lymphatica tendit, ipsorumque quasi inflammationem parit, variaque mala gignit, sive ante expulsionem, sive post expulsionem repercussam, quae rheumatismum, aedema, variosque nervorum morbos exhibent. Hujusmodi mala, licet interdum contumacia sint, et diutissime possint perdurare, denique resolvuntur; longa enim actione vasorum, atque haerentis lymphae attritu, aut fortasse mutatione ab actione miasmatis producta, coacta lympha resolvitur, sed semper immutatum miasma ad vasa cutis urgetur.

(2) Sanguinem postea cogit, atque urget intra vasa minora, cum affrictu globulos sanguinis, atque inflammationem facit. Hujusmodi inflammatio, nisi prompte, et benigne resolvatur, diu non durat; sed gangraenam partis inflammatae producit. Hic malus eventus maxime timendus, si bilis acris phlogistica etiam adjuncta sit.

184. Mobilis naturae humor fugacem idcirco, facileque solubilem inflammationem facit (95. 101. 103).

185. Ad cutim magno impetu a natura propellitur, mobilisque alibi humor ibi figitur.

186. Sudoris, et perspirationis materiam peculiari vi corrumpit (1) (73), quod ostendit sudor, dum miasma cutim petit, statim acidum olens (73. 95).

187. Vis haec corruptiva in altera morbi

(1) Alteratio lymphae pendet ne ex vi corruptiva miasmatis, aut potius ex ea actione, quam exerit in contentum liquidum? Hanc potius opinionem teneo. Affrictus nimirum lentescentis lymphae ex actione vasorum perpendiculari, quae non urget eam in circuitum, sed continuo atterit cum calore, corruptivo modo lympham resolvit. Materia autem perspirationis, cum contineat particulas indolis corruptivae, aut corruptioni proximas, facilius hanc subit mutationem. Vidi multiplicis generis morbos, sub quorum larva morbus processit, ut rheumatismi, convulsionum, etc. ad annum etiam perdurasse, quin corruptionis indicia praeberet perspiratio, sed translato miasmate ad cutim prompte acidus sudor prodiit. Si adsunt argumenta haerentis miasmatis in cutis substantia, prout diutius ibi commoratum est, eo fortius acidum cutis spirat, quod in iis, qui proxime aegris assidebant, et sternutationem excitavit, et molestiam, sive ardorem aliquem oculis intulit.

periodo ad alios (1) etiam humores extenditur, excepto sanguine: quod probant excreta biliosa foetidissima (76. 77), et cadaveris status (152).

188. Cutis nervis maxime inimicum est hoc miasma (76. 83. 90. 93. etc.).

(1) Urina licet tenuis urinoso fortissimo odore foetet, saliva ipsa acidum spirat, bilis autem plurimum alcalescit, et foetet.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

MIASMATIS NATURA.

189. Haec constitui posse videtur in substantia tenuissima, exstimulanti, veneno prorsus aequiparanda. Tenuitas demonstrari videtur a miasmatis proprietatibus (183. 184. 185); quod enim tenuissimum sit, idcirco alibi mobile retinetur solum a minimis cutis vasis, atque iis praecipue, quae in extima cutis facie sub cuticula hiant. Vim exstimulantem comprobat satis universus morbi progressus.

Maxima vero, et prompta, quam in nervos exercet, actio tantae malignitatis arguit hoc miasma, ut omnino veneno asssimilari possit. Neque sane ab hoc miasmate natura longe distat hydrophobiae venenum, quam analogiam effectuum utriusque consideratione illustrabimus. Hydrophobiae venenum diu in corpore innocuum hospitatur (1); rabiei incipientis effecta sunt convulsifica, quae perpetuo crescunt; et cadavera hominum a lupo rabido demorsorum celerrime computruisse narrat *Joannes Astruc* (2) (*x*). Ex his

(*x*) *Disput. de hydrophobia. Monspelii* 1719. 12.

---

(1) Alias omittens historias adducam observationem *Thomae Wilbraham* (*transac. philos. n.* 308.) insertam, Hydrophobiae explicitae post novem menses a leviusculo morsu canis rabidi in manu recepto. Sed non tantum morsu insinuatum venenum se se explicat; verum etiam halitu intro susceptum. *Le Beau* (*Vanderm. Rec.* 1768.) refert casum hominis, qui post aliquot dies hydrophobus factus est, cum interfuisset dissectioni canis rabidi ex putrefactione jam tumefacti. Ipse certior etiam factus sum hydrophobiae ex hausto halitu progenitae. Quum nimirum lupus rabidus successive duos filios momordisset, atque alteri incumberet continuo morsu dilacerans, accessit consobrinus, qui forti baculo caput lupi percutiens eumdem enecavit. Incaute autem admodum oculos propius admovit, ut fauces, et os lupi hians inspiceret, quod totum nigrum erat. Per tres menses nullum incommodum sensit, sed sine ulla alia caussa hydrophobiae symptomata se se explicuerunt, et hydrophobus mortuus est, similemque ambo filii celeriter sortem habuerunt.

(2) Qui deinde Auctores de hydrophobia scripserunt,

patet proprietates miliarium miasmatis (180. 181. 187.) etiam cum hydrophobiae veneno communes esse. Hoc intercedit discrimen, quod hydrophobiae venenum sanguinem saepe figat (1), maxime in aesophago, atque postmodum etiam in pulmone, ventriculo, et intestinis; miliarium autem miasma lympham saepius inficiens, (*forsan tenùius*) (2), eam in extimis vasis cutis figat. Convulsiones funestae in hydrophobia saepius ex gangraenosa vasorum inflammatione, in miliari febre ex cutis affectione producuntur. Analogum quoque miliarium miasmati est celebre mytulorum venenum,

et statum cadaverum indicarunt, similiter observarunt illorum, quos rabies sustulit, cadavera tetrum, foetidumque odorem exhalasse.

(1) Saepius ab hydrophobia sublatorum cadavera ostenderunt gangraenosam inflammationem in aesophago (rarissime illaesus aesophagus visus est), gangraenosa tamen phlogosi vitiatis aspera arteria, et pulmonibus, sed et interdum licet rarissime nulla verae inflammationis signa apparuerunt. Fieri nimirum potest, ut venenum se se figat in tela cellulosa nervorum, atque sine evidenti inflammatione funestas convulsiones inferat; sic videmus minima, et pellucida purpurae albae exanthemata etiam similiter hominem perdere, nervis in violentas convulsiones adactis.

(2) In Europa calidiore licet per homines delatum (56) hoc miasma sedem usque nunc non figit. Liceat igitur conjicere per poros cutis patentiores, magisque liberam perspirationem, tenuissimum hoc miasma difflari.

de quo docta dissertatione disseruit Praecl. *Paulus Gerardus Moerhingius* (1) (y). Recte igitur miasma miliarium veneno aequiparatur. Penitius in ejus naturam introspicere nobis non licet, et libenter hujus generis investigationes praetermittimus; particularum enim, quibus venena plura operantur, naturam assequi non licet. Videant alii, num acidum (2), an alka-

(y) *Epistola de mytulorum quorundam veneno etc. V. append. ad Act. cur. vol. 7. p. 113.* Mytulorum, (qui, ut Auctor putat, ab urticis marinis venenum contraxerant), esus primo maximas praecordiorum anxietates, deliquia, et motus convulsivos, deinde papulas, et vesiculas in universa cute brevi excitavit.

---

(1) Huic observationi adjicienda est illa, quam habet *Guilbert* (*Vandermonde Rec. périod. tom. IV.*) eruptionis pustularum miliarium, quae post dira symptomata, motusque convulsivos subsecuta est assumptum arsenicum.

(2) *Hamiltonio* duce nonnulli acidae naturae hoc miasma esse dixerunt, atque idcirco absorbentibus illud emendare conati sunt. Suam opinionem confirmarunt argumento deducto ex acidi odore, e corpore aegrorum exhalante, qui longe fortior est in miliarium morbo. Sagaciores autem Medici tribuunt hunc odorem illi, quam humores subeunt, mutationi ad corruptionem aliquam reducendae; licet autem vim corruptivam immediate non habeat hoc miasma, quod sine corruptionis effectu diu etiam hospitari in homine possit, ad cutim tamen delatum hujusce corruptionis indicia praebet. *Varnier* (*Soc. R. de Paris tom. III.*) non modo ex peculiari acido odore morbum et praenunciari, et dignosci posse affirmat, verum et etiam animadvertit ex acido odore male acidam miasmatis naturam Medicos arguere.

linum sit; animatum hoc miasma, nec ne: nobis satis est, quantum licuit, miasmatis praecipuas proprietates determinasse (1).

(1) Qui morbi progressus historiam una cum iis, quae dicta sunt circa miasmatis proprietates, atque naturam contulerit, facile rationem inveniet, propter quam fovendo huic miasmati, retinendoque aptiores esse debuerint foeminae utero gerentes, similiterque faveat aër inaequalis; eaedem considerationes eorum, quae dicta sunt (§. 59. 60. 61. 62, 64.), rationem facile dabunt.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

IN MORBI NATURAM, ET PRAECIPUA PHOENOMENA INQUIRITUR.

190. In prima periodo levem quandoque morbum exhibet, et, si de simplicissimo sermo sit, nihil aliud apparet, quam miasmatis ad cutim motus cum symptomatis morbi convulsificis (72. 73). Si agatur de morbo simplici, qui longe fre-

quentior est, morbum exhibet ex inflammatione vasorum lymphaticorum, aut sanguineorum, nervorumque irritatione pendentem. In altera periodo inflammatoriam evidenter indolem morbus habet non sine humorum corruptela (186. 187).

191. Contractio pulsus huic morbo propria producitur a vi hujus miasmatis (181): ex ea etiam deducenda sunt symptomata convulsifica (73. etc.), atque ex vi contractionis vasorum, tum etiam ex miasmatis proprietate (186) non difficulter ratio reddi potest sudorum, qui assidui, et olidi hoc in morbo erumpunt.

192. Stuporis pungitivi *granſ* dicti, rationem deduci debere ex vi stimulante miasmatis probat hujusce symptomatis praesentia, usquedum excernendum idem in corpore persistit (75. 89. etc.). Putamus idcirco stuporis hujus pungitivi sensum excitari a fibrarum nervearum punctura (z), quam consequitur nervorum tensio, qua vasa veluti strangulantur. Quoniam autem in digitis manuum, et

(z) Adnotetur hoc miasma, dum pustulas in cute elevat, puncturam facere (§. 74).

pedum firmius cuti haerens cuticula pustularum eruptioni renititur, et miasma cogitur ibi paullo profundius in cute residere; eapropter magis hisce in locis stupor ille pungitivus molestus est. Forsan etiam major ibi nervorum sensibilitas hujus effectus causa est.

193. Qui consideraverit vi magna pulsum contrahi, et nervos hoc in morbo tendi, et convelli, is explicabit, cur ea ratione, qua crescunt memorata symptomata convulsifica, urinae decolorentur (1). Ingens porro aquei lotii copia in altera periodo (76. 80) repetenda est non solum ex nervorum contractione, sed ex motu humorum velocissimo, et diminuta eo tempore sudoris, et perspirationis evacuatione.

194. Cum dolor caeteris paribus acerbior sit, majori existente fibrarum nervearum tensione, quae ab hoc miasmate plurimum increscit, patet, cur dolores in morbo simplici, et complicato (95. 101) vehementes, et acerbi sint.

(1) Urinae tenues, decolores, aut etiam aqueae multum proficiscuntur ex stimulo nervorum cutis, qui certo observatione duce cum stomacho, intestinis, viisque urinariis magnum habet consensum.

195. Tenuissimum miliarium miasma ad ea vasa delatum, quae cuticulam cuti jungunt, aut immediate, si velis, sub cuticula hiant, atque ibi retentum, et irritatione majorem affluxum promovens, cogit eadem, ut opinor, in hydatidem ab appellente continuo humore amplificari, usquedum hujusce vasculi substantia separetur, et cum ea miasmatis particula abeat.

196. Donec ad memorata maxime exteriora vasa venenum delatum sit, cutim pertransiens perpetuo symptomata convulsifica facit, eo quod prae reliquis humani corporis partibus sensibilis cutis sit, et pene nervorum contextus. Observamus autem omnium deterrimas convulsiones sequi subsidentes pustulas: hujus phoenomeni caussam anatomica observatio aperit, qua edocemur, nervos in extima cute abire in nudas papillas. Si itaque tenuissimum (189), maxime exstimulans, veneno aequiparandum miliarium miasma propter depressas pustulas in has papillas agat, nihil mirum, si vehementissimae convulsiones subsequantur. Ad hujus phoenomeni explicationem adduci possent venena nonnulla, uti Aspidis, Viperae Virginicae, etc. (*a*), quae

(*a*) *An account of Virginia by M. Clayton.*

brevissimo temporis spatio morsu necant, uti verisimile est, cutis nervos immediate afficiendo: sed placet evidentiori exemplo rem hanc patefacere, convulsionum nempe, quae simplicissimam quamlibet nervi puncturam consequuntur.

197. Miasmatis substantia in cute haerens nervos, vasaque exstimulans inflammationem in cute facit vasorum sanguineorum, et lymphaticorum. Huic cutis inflammationi si addas majorem vasorum vim contractilem, humorum, et sanguinis hoc in morbo densitatem, habes, cur tanta febris accendatur cum tam magno calore; cur cutis intumescat; et quae reliqua hoc in morbo occurrunt, praecordiorum nempe anxietates, sitis, inquietudines etc., brevi nascantur.

198. Magnus fluidorum cum solidis affrictus, summus calor, ipsa miasmatis actio (186. 187.) in causa sunt, cur olea attenuentur, salia volatilia reddantur, corruptivam indolem humores acquirant, biliosa foetidissima egerantur, et salia muriatica soluta urinam, et salivam inficiant (77).

199. Cerebrum, et caput universum

sanguine repletur praeter modum propter nervorum motus convulsivos, febris vehementiam, et inflammatae cutis resistentiam, ex qua fit, ut sanguis ad interiora urgeatur, et propter nervorum motus ad caput determinetur.

200. Quum pluries animadverterim aegros sine vehementi febri, et absque insigni cutis inflammatione, et gravibus symptomatis, salutis magnam spem facientes, ex depressis pustulis brevissimo temporis spatio e vita ereptos fuisse; hanc eapropter opinionem teneo mortis caussam hac in aegritudine non febris vehementiae, non cutis inflammationi, sed nervorum, et praecipue papillarum cutanearum puncturae tribuendam esse. Quid autem nervus hac occasione patiatur, unde vehementissimae universales convulsiones nervorum omnium producantur, me ignorare prorsus fateor.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

CURATIO MORBI SIMPLICISSIMI IN PRIMA PERIODO.

201. Quandoquidem certum est malum fere totum, omnesque turbas excitari a miasmate quodam venenatae indolis ad cutem delato; prima indicatio, quae statim se se offert, haec esse videtur, ut remedio quodam efficacissimo venenum hoc corrigatur, aut ea ratione immutetur, ne possit amplius, etsi ad cutim delatum, consueta mala producere; altera ut evacuetur, prohibeaturque ne cutim petat.

202. Specifici cujusdam ad *febres puerperarum mali moris* (hoc est adversus febrem miliarem) certiores fecit Francofurtenses Medicos sexdecim abhinc annis *Joannes Gerardus Wagner* Medicus Lubecensis (*b*). Hujus remedii tantam esse vim praedicat, et efficaciam ad morbum hunc curandum, ut ne una quidem puer-

(*b*) *De medicamento quodam ad puerperarum febres mali moris Epistola, Lubecae* 1742.

pera hac methodo curata perierit. Efficacissimam hanc medelam facit pulvis quidam mole parvus, prope insipidus, et inodorus, cujus drachma una tribus aquae cujusdam destillatae soluta tertia, vel quarta quaque hora exhibeatur, statim ac apparent signa futurae purpurae, aut metus est, ne in febrem purpuratam aegra incurrat. Quod si jam purpura in cute effloruerit, tunc majori frequentia datur, singulis nempe horis eadem dosi, vel, si opus est, majori tamdiu, donec memorata symptomata mitescant. Cum autem omnino evanuerunt, tunc paullatim medicamentum hoc derelinquitur. Alvum haec medicina non ciet, nec alias promovet evacuationes, nisi, ut ait Auctor, forte urinas ab initio lixivii coloris, deinde per aliquot dies valde crassas criseos loco habere velimus: verum correcto veneno malignam morbi indolem in bonam, et benignam convertit, brevique id peragit temporis intervallo, cum laudatus Auctor referat puerperas hac febri correptas octiduo pristinae valetudini fuisse restitutas, nullo prorsus malo superstite. Quod ad lochiorum fluxum spectat, adnotat Praecl. *Wagner* pulverem suum idoneum apprime esse huic instaurando, et revocando. Num experientia, aliorum-

que Medicorum observationes egregii hujus inventi laudes confirmaverint, prorsus ignoro, neque scire potui (c), num prodierit, quem in memorata epistola pollicitus Auctor est, liber, quo integra purpurae morbi, methodique suae tractatio erat continenda. *Joannes Georgius Gmellinus* (d) celeberrimus Professor Tubingensis suspicatus est mercurium dulcem (1) habendum esse pro specifico egregii *Joannis Gerardi Wagneri*, suamque opinionem experientia ipsa confirmari affirmat, et ait se (e) ex usu pulveris cujusdam, quem dimidium granum mercurii dulcis ingrediebatur, et scrupulus dimidius pulveris e chelis cancrorum compositi, dati per quatuor vices singulis diebus non una vice saluberrimos effectus adnotasse, ut materiae morbificae nisum versus cutim juvaret. Addit mercurium dulcem

(c) Doctiss. *Hallerus* (*meth. st. mod. p.* 946.) alias hujus egregii viri lucubrationes recenset; nil de hac innuit.

(d) *L. c. pag.* 31.

(e) *L. c. pag.* 29.

---

(1) Certo non omisi mercurii dulcis experimentum in miliarium morbo; vere interdum profuisse in morbo complicato pluries expertus affirmo, atque mearum observationum rationem inferius dabo: specificam autem virtutem non reperi, neque illi aequiparandam, quam habet mercurius adversus hydrophobiam tempestive adhibitus, priusquam ad gangraenosam degenerationem morbus devenerit.

exhibuisse non una vice, cum a retrocessione pustularum metueret, *et res ista*, inquit, *feliciter cessit, nec diffiteor aliquando minus prospere successisse, sed utriusque causae me latent, persuasum mihi non facile erit virtutem specificam residere in mercurio dulci etc.*

203. Morbi interim natura, et progrediendi ratio suadet in specificum inquirere; videmus enim pleraque mala, quorum causa est certa, determinataque quaedam liquorum corruptio, aut immutatio, per specifica debellari. Febris quartana erat quondam Medicorum opprobrium; lues venerea magna prorsus remedia eludebat; dissenteria misere, quos aggrediebatur, e vivis eripiebat; terribile viperae caudisonae venenum olim extitit. Morbi hi singuli suum specificum nunc habent, quorum ope non difficile vincuntur; aequum eapropter est, ut velint Medici operam suam omnem conferre, variaque experiri ad hoc specificum detegendum. Prout mea de hoc malo cogitata suggerebant, varia data occasione tentavi. Cortex Peruvianus maximum in corruptione, et gangraena etiam remedium miliarium miasma neutiquam infringit. Aliquantulum corrigunt acida vegetabilia, ut succus

malorum medicorum, et sal essentiale acetosellae: sed neutiquam omnino valent vim miasmatis hujus deleteriam cicurare. Hoc miasma videtur requirere (1) inter acida specificum, quod tenuissimum sit, ut ad ea minima vasa perveniat, quae propter suam tenuitatem petit miliarium venenum.

204. Diximus hucusque de miasmatis correctione, quae fiat per illud specificum, quo natura miasmatis mutetur; videndum nunc est, num inutilis veneni hujus actio reddi possit, tametsi ad cutim feratur (201). Tenuissimae naturae venenum cum fit (189), diu innocuum in corpore hospitari potest (180); solida irritando, et tendendo (181); sanguinem, et praecipue lympham sensim cogendo (182) morbum fere non excitat, nisi cum tenuissimis vasis cutis retinetur, aut propter majorem humorum densitatem (in simplici, et complicato morbo) alibi figi cogitur. Si igitur efficacissimo attenuanti remedio ea lymphae, et sanguinis den-

(1) Fateor nullum adhuc mihi constare praesidium, quo hujusce miasmatis natura immutetur; elusit omnis generis praesidia; tenuissima caustica natura ab acidis non immutatur, aut in tenuissimis vasis apprehendi non potest.

sitas, propter quam miliarium miasma innocuum amplius non est, solvatur, ea ratione tunc immutabitur, ut consueta mala excitare amplius non valeat. Incomparabilis Boerhaave, variolarum miasmatis specificum quaerens, inquit (*f*): *in stibio, et mercurio ad magnam penetrabilitatem arte deductis, nec tamen salina acrimonia nimium corrosivis, sed bene unitis, ut quaeramus, incitat aliquis horum aliquando successus.* Talis remedii in miliarium morbo, cujus tanta ac variolarum velocitas non est, et saepe etiam praevideri potest, magnam utilitatem licet augurari. An ne hunc in scopum ipse mercurius sublimatus corrosivus ea ratione, qua celeberrimus *Swietenius* (g) ad luem veneream efficacissime adhibet, ut actio miasmatis miliarium eludatur, alicujus utilitatis esse posset (1)? Vidimus alibi (189) hydrophobiae veneno quodammodo accedere miliarium miasma, et notum est

(*f*) *Aphor.* 1392.
(g) *Cl. Gerardi Van-swieten ad Josephum Benvenuti Epistolae binae. Lucae* 1755.

(1) Non ausim certe mercurii sublimati corrosivi usum proponere, nimis periculosum medicamentum, a quo sperare non liceat sine solidorum labefactatione in minimis vasis lymphae correctionem adeo citam, qualem natura morbi expostularet.

ex *James* (*h*), *Desault* (*i*), *Sauvages* (*k*), et *Choisel* (*l*) observationibus praestans adversus hydrophobiam remedium ex mercurio peti. Reliqua praeterea hydrophobiae praesidia, uti pulvis antilissus, Londinensium, cynosbatos, cantharides (1) etc. humores attenuando videntur id facere, ut sanguinem ex hydrophobiae veneno coactum solvendo, innocuum venenum reddant. Multi igitur interest remedium quaerere, quo et in miliarium aegritudine prompte sanguini, et lymphae fluiditas restituatur. Moschum etiam, aut consimile remedium, ut Medici in miliarium morbo experiantur, suadeo. Medicinam similem illi, quam Chinenses (*m*) adversus hydrophobiam commendant, semel expertus sum felici cum successu in homine sexagenario, podagrico, et miliari febre correpto, quae in prima pe-

(*h*) *James new method of curing madness. p.* 45.

(*i*) *Dissertation sur la rage. Bourdeaux* 1733.

(*k*) *Dissertation sur la nature, et la cause de la rage. Toulouse* 1749.

(*l*) *Nouvelle methode pour le traitement de la rage. Paris* 1756.

(*m*) *Phil. trans. n.* 474. recipit Chinense remedium moschi grana sexdecim, et cinnabaris grana viginti.

---

(1) Recensitis adjici possunt belladonna, alkali volatile, rasura cupri, unguentum mercuriale, turpethum minerale, testae ostreorum calcinatae, meloe majalis, et proscarabaeus etc.

riodo dolorem nunc ad pectus cum sputo sanguinis, nunc ad pedis pollicem instar podagrae recurrentem mentita fuerat, et miliarium quarta die protulerat expulsionem. Animadverti symptomata convulsifica in secunda periodo praeter expectationem mitissima fuisse, urinas coloratas perstitisse, sudores non intermisisse, undecima die ex integro convaluisse. Dabatur singulis sex horis bolus, qui recipiebat moschi grana octo, aethiop. miner. gr. XII., succini albi gr. XV.: bis secta fuit vena. Unicam hac de re habeo observationem, alias, cum dabitur occasio, instituam (1). Hortor interim quam

(1) Pluries moschum adhibui cum magna utilitate; meam ego ipse vitam hoc remedio bis servavi, quum miliarium morbus peticulis junctus gravissimus mihi supervenisset cum magna humorum visciditate. Utinam licuisset ex voto, et longe pluries experiri, sed non exiguus numerus assidentium, praesertim autem foeminarum, odorem fastidiunt, atque detrectant. Plures autem cum jam miliaria exanthemata subsiderent, motusque convulsivi jam incepissent, brevissimo temporis spatio veluti ab orci faucibus servati fuerunt. Aliquando inutilis extitit; diutius utique morbus protractus est, sed tamen aeger interiit.

Observationes autem habitae demonstrarunt proficuum moschum fuisse in miliari morbo, si humorum densitas adesset, atque subsidentes pustulas iterum elatas fuisse, imo incipientes convulsiones fugatas extitisse. Si vero ex actione peticularum sanguinis resolutio jam notabiliter processerit, atque pulsus sit demissus, cedens, neque ulla ratione propellens, moschus frustra adhibebitur, eo quod promoveat

maxime Medicos ut velint his, si arrident, rationibus ducti varii generis remedia efficacissima explorare.

205. Altera indicatio (201) est, ut e corpore eliminetur, prohibeaturque, ne cutim petat miliarium miasma, qua methodo abrumpitur omnis morbi progressio. Deo dante ad utilem hanc extraordinariam (1) curandi methodum inveniendam felices extiterunt cogitationes nostrae, ea reperta curandi ratione, qua memoratae indicationi satis fit. Ea postulat, ut sudores minime colantur, sed sine gravi errore negligantur; aeger affatim bibat aquam cum soluto sale essentiali acetosellae, aut cum succo malorum medicorum, et saccharo; post sectam venam semel, bis, aut etiam ter, si plethorae status id exigat, purgante efficaci antiphlogistico pluries alvus ducatur, in qua pur-

sanguinis resolutionem, longe utilior erit tunc temporis contrayerva. Ab orci faucibus puerperam, quae jam in convulsiones inciderat ex subsidentibus miliariis, eripuit magna cum omnium admiratione doctus, et expertus vir, mihi amicitia conjunctus, D. *Anforni*, facultatis medicae P. et R. moscho animose et convenienti dosi exhibito.

(1) Quum eo, quo scripsi, tempore aut curatio unice per diaphoretica fieret, aut saltem Medici non auderent sudorem abrumpere; idcirco methodum hanc extraordinariam vocavi.

gatione observandum est eam ter plerumque esse repetendam, cum bina raro sufficiat. Quo magis urgent sudores cum pulsu contractiori eo promptius purgans medicamentum exhibendum, neque, si dicti sudores premant vespertino tempore, matutinum expectandum est, sed illico succurrendum. Mobilis enim humor miliarium, maxime in simplicissimo morbo, brevissimo temporis spatio cutim petit, et exanthemata parit, quae quando apparuerunt, hanc medendi rationem amplius non patiuntur. Numquam hanc methodum in simplicissimi morbi prima periodo me fefellisse certiores Medicos facio (1), et rogo quam maxime, ut velint experiri, eamdemque amplificare. Adhibui fere sem-

(1) Quum simplicissimus miliarium morbus rarissimus impraesentiarum sit, sed plerumque complicatus, haec methodus extraordinaria longe rarius adhiberi potest. Observavi autem in illo, qui simplicissimi, aut etiam simplicis ratione progreditur, purgantium ope miliarium miasma non educi, nisi pulsus solutus, sollicitus, externus sit. Si arteriae quaedam durities lymphae densitatem phlogisticam, aut pulsationum debilitas aliquam miasmatis peticularum portionem conjunctam arguat, aut brevitas pulsationum in humoribus densitatem, minoremque permeabilitatem designet, huic methodo non erit insistendum, aut certo properandum non erit; haec autem omnia evidentius patebunt ex iis, quae de morbi complicati curatione proponentur. Idcirco haec erant indicanda, eo quod saepe complicatio parum se prodat, atque ex pulsuum exploratione sit cognoscenda.

per pro purgantis dosi unciam unam, et semissem, aut etiam uncias duas pulpae cassiae recenter extractae, aut syrupum ipsum e floribus persicorum. Quandoque, ubi validas purgationes aegri constitutio non permitteret, exhibui bis in die memoratum syrupum e floribus persicorum unciarum duarum dosi una addito cichorei succo. Ea ratione, qua alvus ducitur, minuitur pulsus contractio, sudores disparent, et alvo exonerantur foetidissima ardoris sensum, dum exeunt, excitantia. Post valetudinem restitutam, quod intra septem, aut novem dies, ad summum undecim evenit, consului aegros aliquandiu in malorum medicorum usu persistere, neque morbum repullulasse animadverti.

206. Videamus modo, quae praeter extraordinariam hanc methodum facienda sint, si natura velit, ut per cutis viam periculi plenam miasma evacuetur. Eo in casu sequentes, ut mihi videtur, occurrunt indicationes.

I. Tensas fibras emollire, quod fit decoctionibus herbarum emollientium, sero lactis, emulsionibus ex seminibus frigidis, aliisque similibus.

II. Sanguinem, et lympham hoc in

morbo (182) plerumque coactam sero donare, et solvere mitibus attenuantibus, quae non calefaciant, et ad cutim non appellant, cum nimium cito exanthematum expulsio in simplicissimo morbo adveniat.

III. Curare, ut circuitus humorum libere perficiatur; ad hoc autem nihil magis confert, quam paullo copiosius sanguinem mittere, cujus eductione occurrit etiam Medicus inflammatorio statui, quem sanguis concipit in altera periodo.

IV. Symptomata convulsifica sedare: haec autem cum pendeant ex nervorum, et potissimum cutis irritatione, antispasmodicis non obediunt; sed iis solum corrigi posse videntur, quae miasmatis actioni se se opponunt, ejusque vim infringunt. Quid de opiatis, aliisque remediis sentiam, suo loco dicetur.

In altera Periodo.

207. Si pustulae cito grandescant (75) et post expulsionem exanthematum symptomata convulsifica (73) evanescant cum pulsu molli, et amplo, nullam amplius excernendam miasmatis copiam superesse significabitur, neque aliud quidpiam peragendum Medico incumbet, quam vires

aegri, et pustulas, cutisque madorem blande sustinere convenienti victu, diluentibus, emollientibus, et levibus etiam diaphoreticis. Cito exsiccatis pustulis salus redibit.

208. Plura autem peragenda occurrunt in casu (76): tunc necessum est:

I. Expellentem naturam juvare, ut plena fiat exanthematum expulsio.

II. Curare, ne pustulae subsideant.

III. Convulsivis subsidentium, aut male erumpentium pustularum effectibus mederi, lethalesque convulsiones praecavere.

IV. Seri jacturam reparare (193).

V. Corruptivam (187. 198.) humorum acrimoniam emendare.

209. Primae indicationi succurritur diluentium, et mitium diaphoreticorum usu; et cutis vasa aperiendo, si status ejusdem id postulaverit. Quae sanguinis motum cohibent, aut omittenda, vel magna cum moderatione adhibenda.

210. Pustulae subsident pluribus de causis.

Circulatio per cutanea vasa difficilis ex magna vasorum inflammatione, aut

nervorum contractione lympham ad pustulas efformandas necessariam subtrahit; calore interim cutis cito memoratae pustulae, seu potius vesiculae exarescunt; unde subsideant necessum est, atque ex miasmatis in papillas nerveas actione (196) convulsiones (76 80) subsequantur.

Sanguis minori, quam par est, vi ad memorata cutanea vasa appellens eumdem effectum producit.

Causa demum quaelibet externa in contractionem adducens lymphatica in miliares vesiculas amplificata vascula, easdem deprimi cogit.

Circulationem humorum juvabunt frictiones, fotus, cucurbitulae cum scarificatione.

Paullo plenior victus, non omisso aliquo efficaciori diaphoretico, ei medebitur pustularum subsidentiae, quae ex secunda causa nascitur; si vero ex metu impetus sanguinis ad cutim frangatur, exhilarandus insuper aeger est, probabilique sermone in spem erigendus.

Potissima causa externa vesiculas deprimens, frigus externum est, quod postulat, ut statim potione aliqua calidiuscula, et fotubus pustulae iterum eleventur.

211. Subsidentium pustularum effectus sunt cutis cum calore siccitas, febris vehemens, et motus nervorum convulsivi. Hic aegri status plura exigit. Ad sanguinis, et humorum impetum minuendum mitia attemperantia adhibeantur. Quantum fieri potest, cutis blando fotu molliatur ad calorem, et tensionem imminuendam. Ut autem nervorum motus convulsivi necem non afferant, duo peragenda incumbunt. Primum curandum est, ne motus convulsivi ex cute ad cerebrum propagentur: ad hunc finem cucurbitulae cum scarificatione apponendae iterum, atque iterum pluribus in locis, et quaerendum inter venenorum simili ratione agentium historias, quid ad tollendas nervorum convulsiones hoc in casu inservire possit. Alterum vero, ut convulsionum ex cerebro deinde provenientium impetus minuatur. Quandoquidem vero caput universum sanguine repletur (199), opportunum esse mihi videtur sanguinem immediate ex capite detrahere magna cucurbitula occipiti apposita, aut per hirudines ex temporalibus venis. Haec porro sanguinis evacuatio aliquando utilis revera extitit, et convulsiones sedavit, sed alias nihilominus aegros interiisse adnotavi. Contigit etiam animadvertere copio-

sissimam sanguinis haemorragiam vires quam maxime debilitantem, et capitis plenitudinem omnem auferentem minime prohibuisse, quin convulsiones aegros eriperent. Puto itaque capitis plenitudinem convulsionum periculum augere, sed praecipuam harum lethalium convulsionum causam ex simplici nervorum irritatione oriri, idcirco harum curationem potissimum pendere a correcto statu nervorum cutis. His animadversionibus fit, ut in opiatis, et antispasmodicis exiguam omnino spem reponam, sed de horum usu alibi.

212. Necessum est hac in morbi periodo, ut aegri multa potatione reparent seri jacturam, quam faciunt insignis calor, et sudoris, ac urinae vehementes expressiones etc.

213. Denique adhibenda sunt subacida, ut sunt aurantia, medica, et punica mala, acetosa, acetosella, aliaque similia, quibus humorum corruptiva indoles quodammodo corrigatur; sitis, et calor temperentur, sed haec ea cautela praescribenda sunt, ne nimis sanguinis motum uno impetu deprimant. Acida mineralia eo quod nimis valide sanguinis

motum compescant, suspecta habeo, nisi parva dosi exhibita, multa aqua diluta, et partitis vicibus data. Corruptiva porro humorum indoles requirit non modo usum subacidorum, verum etiam ut corrupta alvo exonerentur, viam monstrante ipsa natura, quae saepe eo in casu cum aegri utilitate e corpore eliminat biliosa foetidissima. Purgantia efficacia, cum sanguinis impetum, et motum pustulas sustinentem ad interiora revocare possint, non conveniunt. Mitissima solum laudantur, quemadmodum sunt emollientes clysteres, serum lactis etc.

214. Hisce omnibus superaddendum est, quod eo tempore, quo post magnam morbi saevitiem (77) aliquo redeunte madore iterum pustulae eminent, mitia diaphoretica omnino locum suum habeant.

215. In casu (82 83) curandum est, ut humorum per cutim circuitus expeditior reddatur per frictiones, cucurbitulas, fibrarum (si earum vis torpeat) per vesicantia irritationem, et demum per ea intus data remedia, quae valent lymphae fluiditatem donare. Cognitio autem peculiaris indolis humorum, et aegri constitutionis determinabit naturam attenuan-

tium. Generatim eo in casu commendamus cardum benedictum, flores papaveris, rhoeados, bardanae, et scorzonerae radicem, scabiosam, scordium, flores sambuci, et inter reliqua camphoram penetrantissimae attenuantis naturae remedium, quod corruptioni quam maxime resistit. Quae praeterea tunc peragi debeant, ex dictis (207 211) facile patebunt.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

CURATIO MORBI SIMPLICIS.

216. Methodus curandi morbum simplicissimum in simplici quoque convenit; sed aliquam sibi vindicat curationis partem morbus, cujus speciem exhibet miliarium miasma (95). Ea vero aptanda est naturae morbi, sub cujus imagine primum miliarium miasma ferit. Generatim notamus hasce varias aegritudines rheumatismum (95), dolores, convulsio-

nes etc. solum emollientibus (1), et venae sectione mitigari, mittendique sanguinis copiam non determinari a solo morbo, cujus speciem exhibet, sed una a miliarium miasmate, quod postulat, ut paullo liberalius vena secetur (206).

217. Si sub erysipelatis larva morbus inchoet copiosius mittendus sanguis est; praecipue si caput obsideat. Vix credibile quantus fiat tunc sanguinis impetus. Eo in casu plerumque repetit ex naribus haemorrhagia cum aegri utilitate.

218. Curatio per evacuantia (205) instituenda est eo tempore, quo morbus, cujus speciem praesefert, solvitur, et sudores urgent (2). Feliciter hanc curationem etiam in simplici morbo cessisse expertus affirmo. Diligenter, citoque humores fluidos faciat Medicus, eademque diligentia, quo momento solvitur morbus, extraordinaria methodo (205) aeger per-

(1) Hic rheumatismus omnino rejicit spirituosa, et stimulantia, a quibus acerbe intenditur, neque vere mitescit per opiata, imo per ea fit contumacior, et post aliquam quietem vehementior.

(2) Sagax autem Medicus videbit, num eam, quae convenit, humores aquisierint fluiditatem, et eo delatum miasma sit, ut ejusdem eductio obtineri queat.

tractetur. Post pustularum expulsionem, sicuti simplicissimus (207 215), curandus est.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

CURATIO MORBI COMPLICATI.

Generatim.

219. In curatione complicati morbi cavendum est, ne remediis, quae adjuncto morbo medentur, sudores, et perspiratio propellantur, et cito nimis miliarium miasma ad cutim urgeatur. Oportet ideo bene, attenteque expendere morbi consociati naturam, et succurrere ea methodo, quae bono miliarium progressui non officiat. Quod vero spectat ad curationem (205.) per evacuantia (1),

(1) Raro admodum in morbo complicato locus fit purgantibus, atque iis maxime, quae activa sunt. Nostris autem temporibus, quibus peticularis aliqua humorum conditio facile conjuncta est, locum fere non habent purgantia medicamenta, nisi bilis ipsa majorem maligni miasmatis quantitatem sibi junctam habeat, et ad evacuationem apta sit.

ubi adjuncti morbi indoles permittat, ea utendum esse arbitramur. Ad haec omnia statuenda multa requiritur Medici solertia, qui probe noscat conjuncti morbi magnitudinem, miasmatis agentis copiam, videatque, quidnam magis urgeat.

Cum Arthritide, et Podagra.

220. Neminem latet arthritica, et podagrica laborantes homines infirmitate magnam non sine acrimonia salina lymphae visciditatem (1) habere, et hanc prohibituram suo tempore fore convenientem pustularum eruptionem. Quae quum ita sint, sequitur miliarium miasma non esse ulla ratione ad cutim propellendum, et assidue datis remediis primum liquorum diathesim quantum fieri potest emendandam. Hoc perficitur usu diluentium, et attenuantinm specificorum, uti sunt pro circumstantiarum ratione chamaepytis, centaurium minus, chamaedris, bardanae radix, menyanthes, serum lactis (2) etc.

(1) Haec humorum conditio longe magis phlogistica est in arthritide; universum corporis habitum afficit, atque non raro bilis acris, et stimulantis additionem habet.

(2) Quoniam morbus saepe cum fervore, et viscido-salsae lymphae conditione conjunctus est, primum diluentia, et serum lactis, deinde attenuantia ama-

Liberalius secta vena hoc in casu (1) nocet, quia vires servandae sunt; tum ob morbi diuturnitatem; tum, ut una adhibitis remediis attenuari viscidi humores possint; et ut vires supersint, quibus natura ad expulsionem sufficiat. Nullas adhuc habeo de usu evacuantium (205) in hac morbi complicatione observatio-

ra adhibenda sunt. Si ex citato pulsu jam proxime futura eruptio videatur, prompte discuti visciditas humorum poterit usu mercurii dulcis. Factam autem expulsionem, quae facile subsidet, substinent moschus, atque etiam usus camphorae. Conveniunt epispastica tempestive applicita, et repetita.

Quod ad podagram pertinet, similes occurrunt, ac in arthritide indicationes, eademque praesidia utilia erunt. Parce secanda vena est, in usu epispasticorum persistendum est, deviam etiam podagram ad pedes allicere opportunum erit fotu e calidis linteis, aut etiam mitibus sinapismis plantae pedum applicitis. Si morbifica materia pulmones impetat moscho, et mercurio dulci oportebit pulmones expedire. Si vero agatur de homine sene, et eo, in quo propter cutis densitatem, summamque sudoris difficultatem non liceat sperare commodam, utilemque eruptionem sine ullo propellentium remediorum usu, unice allaborandum medico erit, ut iis, quae proposita sunt, medicamentis humoribus fluiditatem restituat, qua comparata symptomata omnia mitescent, atque morbus veluti conquiescet, alia vice deinde rediturus. Veram enim morbi judicationem per eruptionem sperare non licebit in ea rerum conditione, atque interim periculosissima erit res adeo infaustis circumstantiis existentibus, malignum humorem ad cutim minime perviam medicamentis urgere.

(1) In arthritide uberius, parce autem in podagra mitti sanguis debet.

nes (1). Existimarem interdum utilem hanc curandi rationem extituram, adhibendamque esse, posteaquam per attenuantia tenuitas lymphae data sit: miliarium autem miasmatis per purgantia eductioni magis fortasse accommodata erunt ea purgantia, quae simili humorum diathesi magis se se opponunt, e. g. manna, gummi ammoniacum, polypodium etc. Curatio in altera periodo esse debet pro vario (76 82 83) morbi exitu; saepius erit uti (215) dictum est.

Cum febre catarrhali.

221. Praeter ea, quae generatim curatio febris catarrhalis expostulat, nonnulla sibi speciatim vindicat morbi miliaris complicatio. Venae sectio paullo liberalius est instituenda, quam in simplici febre catarrhali. Ferinae tussis stimulus opiatis non est leniendus; ea enim non mitescit, nisi venenum deserat tra-

(1) Posteriores habitae observationes ostenderunt purgantia medicamenta adhiberi non posse; verum, in morbi consortium veniente bile, serum lactis maxime opportunum est, quod etiam salibus mediis acui aliquantum potest, sed permittendum est, ut miliarium miasma natura per cutis viam excernat. Usus purgantium paullo efficaciorum perniciosus est, atque diuturnas morbi successiones affert, non nisi exanthematum eruptione superandas.

cheam, et bronchia. Purgantia inopportuna maxime sunt; caveantque tyrones, ne ex viscidae ac pituitae excreatu muci evacuandam copiam esse existimantes, alvum moveant gummi ammoniaco, aut manna. Hisce enim remediis profundius ad pulmones deducitur: pituita autem in cellulis collecta speciem suppurationis subit, atque sensim excitata a materie stimulante vasorum minimorum aliqua inflammatione, ad phtysim quamdam pituitosam via sternitur. Si tussis non modo stimulo suo molesta sit, sed oppressionem offerat cum sensu ponderis, festinandum erit in usu vesicantium tybiis applicitorum. Erit ergo lenientibus, emollientibus, et demulcentibus, mitibus resolventibus, atque etiam diaphoreticis curandum, ut dimota ex pectore materies morbifica deinde ad cutim feratur, atque ibi e corpore eliminetur. Aliam enim judicationem morbus habere non potest. Quando autem argumenta adsint principii peticularis adjuncti, planum est circumspecte venam secandam esse, cito epispastica tybiis esse applicanda (nisi indicia adsint gangraenosae jam inceptae in sanguine mutationis), atque praeter pectoralia ab antisepticis resolventibus unice sanationem expectandam esse: inter

haec praestant *carduus benedictus*, *carduus marianus*, *scordium*, *camphora*, *moschus* etc. quorum valentiora, aut mitiora pro ratione circumstantiarum erunt seligenda.

Cum Pleuritide, et Peripneumonia.

222. Haec pluribus a legitima pleuritide, et peripneumonia recedit; instar tenuis erysipelatis pulmonem afficit (103); in suppuratum non abit (110), et nisi blande solvatur, sphacelum prompte inducit (108). Duo itaque maxime timenda occurrunt, quorum primum est, si citam inflammationis resolutionem curet Medicus, praepropera miliarium eruptio; alterum est pulmonis sphacelus ex persistente inflammatione. Inter scyllam, et charybdim positus Medicus sollicite, quantum licet, inquirat in miasmatis copiam (133 134 136), inflammationem facientis sanguinis densitatem, et aegri constitutionem, ut decernat, ubinam periculi summa consistat. Generatim monemus hac in aegritudine cito, et larga manu (1) mittendum sanguinem esse, et eundem plerumque coactum (182), attenuan-

(1) Si tamen morbus pendeat etiam a bile putrida, aut conditio humorum peticularis sit, caute admodum vena secanda est.

dum, tensaque solida (181) emollienda diluentibus, lenientibus, emollientibus. Mitiora acida (1), propterea quod vim deleteriam miasmatis aliqua ratione corrigant, (160 213) praescribenda mihi videntur, rob sambuci prae caeteris commendo, eo quod acido principio, et vi saponaria etiam juvare possit. Antiphlogistica conveniunt, tum ad hujus inflammationis curationem, tum ut expulsionis tempus protrahatur. Hujus generis sunt nitrum, taraxaci, cichorei, sonchi, et similium herbarum succus. Si morbus pulmonis sphacelum minitetur (108), praeter diluentia, et emollientia adhibendum efficacissimum attenuans remedium est, quo prompte malignus humor ex pulmone ad cutim propellatur, e. g. flores papaveris rhoeados, flores sambuci, camphora nitro juncta, oxymel etc.

223. Quae per evacuantia (205) instituitur miliarium morbi curatio, hac in complicatione locum habere interdum (2) potest; atque administranda est eo tempore, quo miliarium miasma (103 106)

(1) Acida generatim non convenire factae observationes monstrarunt, neque vim miasmatis corrigunt; rob autem sambuci juvat vi saponacea, et abstergente.

(2) Perraro evenit, ut in hac complicatione institui curatio per purgantia medicamenta possit.

pulmonem deseruit. Hae methodo (205) feliciter sine pustularum eruptione, aliove infortunio foeminam curavi, quam pleuritis haec corripuerat: eo autem momento, quo cum sudorum incremento sputa decolorabantur (103), purgans medicina statim exhibita fuit, non omissis subacidis.

224. Oleum e seminibus lini, si vere morbus ab orgasmo bilis sit, et adsit cacochymia biliosa in primis viis utile est, minus utile in progressu, perniciosum, si sputa crassa sint, atque per anacatharsim partem morbi natura velit judicare; tussim enim sedat, atque aeger suppressa anacatharsi suffocatur.

225. Haec pleuritis non est confundenda cum illa, quae a practicis biliosa dicitur, et a bilis orgasmo fit. Doloris mobilitas pendet ex humoris inflammationem facientis mobilitate (184). Sputorum flavedo effectus est resoluti globuli sanguinei (1), et lympham sive humores alios inficientis.

(1) Non raro etiam hujusmodi flavedo ex bilis actione etiam erit repetenda (haec enim in vera pleuritide solet aliquam partem scenae ludere, sicuti recte veteres observarunt), sed nihilominus hujusmodi pleuritis non erit ex hac sola caussa confundenda cum illa, quam practici biliosam vocant.

226. Febris putridae cum miliarium morbo complicatio in prima periodo generatim requirit usum subacidorum, et attemperantium, qualia sunt taraxacum, cichoreum etc. Curandum interea etiam est clysterum (1) maxime usu, ut alvi

(2) Praeter clysteres in febribus praesertim putridis gastricis convenit tempestive exhibitum emeticum: procedente morbo, atque natura non satis alvi fluxum sustinente mitia eccoprotica refracta dosi data utilia sunt, atque tantum abest, ut exanthematum eruptionem prohibeant, imo etiam adjuvant, quod evenit praesertim in febribus putridis gastricis: vitiosa enim, putridaque materies in primis viis collecta, debilitata vi alliciente circuitum sanguinis, quae inest stomacho, et intestinis, vim cordis, et arteriarum debilitat, atque eductis vitiosis humoribus, elataque actione cordis, et arteriarum, commodior obtinetur exanthematum eruptio, quod etiam *Baraldi* pluries adnotavit in constitutione miliarium Mutinensi. Ab iis autem abstinendum est, si abdomen ad tactum doleat, fortesque dolores recurrant; atque eo tempore, quo urgentibus sudoribus, et *granf* apparentibus actio naturae ad cutim directa monstratur. In febribus putridis ad ardentes referendis serum lactis maxime commendamus. Sudatoriae denique febres prohibent usum diaphoreticorum, suadent acidorum attemperantium, et demulcentium usum, atque regimen illud sudorum, quo nec promoveantur, neque temerarie repellantur.

Aphtae denique in ore apparentes prohibent omnia remedia, quae alvum leniunt: ipsum serum lactis suspectum est, neque licet os colluere acidis austeris, et repercutientibus. Si multam molestiam faciant, aqua hordei cum soluto melle rosato sufficiet. Intus autem dentur demulcentia, atque mitia dia-

fluxus persistat. Sanguis parce mittendus est (1), atque eum maxime in scopum secari vena debet, ut praecaveatur, aut tollatur mesenterii, et intestinorum inflammatio. Prompte adveniens hoc in casu internae inflammationis status (112) vetat usum purgantium efficaciorum. Quando miliarium miasma ad cutim a natura pellitur, in subacidorum, aliorumque attemperantium usu summa cum moderatione procedendum, et mitia diaphoretica una adhibenda, quae juvent, et absolvant miasmatis expulsionem. In altera demum periodo, quid faciendum sit, ex dictis in curatione morbi simplicissimi eruatur.

phoretica. Fotibus plantae pedum applicitis satagendum est, ut sudores redeant, atque miliarium venenum ad cutim iterum alliciatur.

(1) Licet putrida morbi natura generatim vetet sanguinis missionem, miliaris tamen morbi complicatio eamdem omnino requirit, nisi vitium humorum, et bilis praesertim putridarum febrium limites superet, eamque attingat, quae sanguinem potest afficere, et malignae febri originem praebere. Advertendum porro est, nostrates febres putridas etiam pro caussa habere consuevisse suppressam transpirationem, lymphamque esse coactam spissitudine inflammatoria in venae sectionis etiam pluries instituendae argumentum. Quaedam autem putridae febris species solet produci frequentius ex praetermissa venae sectione, neglectisque sudoribus.

Cum Febribus intermittentibus.

227. Si febris intermittens cum miliarium morbo complicetur, statim ad corticem peruvianum confugiendum minime est. Miliarium enim miasma a cortice peruviano non corrigitur (203): statui vero inflammationis (183) vasorum lymphaticorum, et sanguineorum, qui proprius est miliarium morbi, nocet; neque tonicum, et corroborans hoc medicamenti genus permittit status tensionis fibrarum (181). Si igitur cum pulsu contracto, et duro (113) declinatio febris intermittentis sit, et lymphatica vasa inflammari observentur, non e re esse putamus statim corticem peruvianum administrare, sed curandum est, ut diluentibus, venae sectione etc. status inflammationis emendetur, quo peracto adhiberi china china poterit (1).

(1) Plurimae, iterataeque observationes me docuerunt miliarium miasmati corticem peruvianum nocere. Febres intermittentes facile in continuas mutantur; interdum veluti se se abscondunt sine vera apirexia, motibus arteriarum depressis; torpidi aegri evadunt, atque post aliquam apparentem quietem in gravissimum periculum rediguntur. Tot, uno verbo, infortunia, atque morborum diutissimas successiones ex usu corticis peruviani observavi, ut non suadeam ejusdem usum, nisi quando vere timendum sit, ne frigoris, aut rigoris reditus pustulas retropellat. Eo vero timore superato non ultra procedendum est in ejusdem usu, sed unice curandum, ut facta exan-

228. Plerumque morbus naturam intermittentis febris exuit (113) explicito miliarium miasmate; sed interdum prosequitur febris intermittens (114), minimeque gravis morbus videtur, at frigoris, horrorisve tempore facile repercussae pustulae maximum periculum afferunt. Duos robustos homines praeter omnem expectationem simili modo ereptos observavi. Tunc autem quisque videt cortice peruviano succurrendum esse, ut malum exitum datura febris intermittens tollatur. Felix exhibiti iis in adjunctis corticis peruviani exemplum habeo: Praecl. *Paulus Werlhoff* (*n*) chinae chinae usum consulit in febribus intermittentibus, quibus sine febris continuitate accedant symptomaticae peticulae, aut purpura. Extra dubium itaque erit, si in casu (75) adsit febris intermittens, illico chinam chinam esse adhibendam. Eadem autem asseverantia neutiquam affirmo talem instituendam intermittentis febris curationem in statu (76),

(*n*) *Observationes de febribus. Venetiis* 1757. *p.* 305.

thematum eruptio curriculum suum perficiat. Eadem lege pertractanda erit febris intermittens perniciosa, sed multa in Medico sollertia requiritur, qui videat, num grave symptoma, quod perniciem portendit, vere pendeat ex natura febris intermittentis, aut ex adjuncto miliarium miasmate.

quo in casu, intermittente excepta, caetera contraindicant. Postrema haec complicatio mihi nondum occurrit, neque contingere posse videtur, eo quod febris continua vehemens a multo miliarium miasmate excitata fermenti febrium intermittentium actionem turbet, et impediat. Usque nunc vidi eo in casu intermittentem febrem in morbi vehementia disparere (113), et sub finem morbi redire.

229. Curationem per evacuantia (205) in miliarium cum intermittentibus complicatione peragi posse planum est ex dictis (205), et ipsa natura febrium intermittentium. Haec autem maxime utilis erit iis in regionibus, quae humili loco cum sint, et circumpositas habeant stagnantes aquas, intermittentibus non sine insigni humorum corruptione afficiuntur. In aëre Taurinensi, quem nullae stagnantes aquae, sed insignes caloris, et frigoris vicissitudines insalubrem faciunt, hujusmodi corruptivae indolis febres intermittentes frequentes non sunt. Spissitudo inflammatoria sanguinis non raro cum intermittentibus febribus consociatur, quae venae sectionem expostulat. Haec nisi fiat, in continuam febrem degenerant, aut quotidianam, quam dolores, rheumatismi,

atque varii decubitus ad varias partes sequuntur. Hinc sequitur apud nos ante purgantium usum saepe sanguinem esse detrahendum.

Cum Febre quotidiana.

230. Curatio, quae fit per evacuantia, adhiberi non potest in hac complicatione, quae expostulat omnino, ut primum lymphae visciditas, et mala constitutio corrigatur, deinde ut natura malignum miasma per cutim expellat, quo per aliam viam se liberare non potest. Si lymphae visciditas densitatem phlogisticam habeat, cujus indicium dabit praesertim conditio pulsus, atque cognita causa antecedens, vena secanda est, atque maxime utilia erunt epispastica tibiis applicita. His praesidiis adjungantur amara resolventia mitiora, aut fortiora aegrorum circumstantiis aptanda. Sunt autem haec, *Saponaria*, *Taraxacum*, *Cichoreum*, *Trifolium fibrinum*, *Chamaepytis*, *etc.* Quod si metus sit, ne urgente veneni miliarium actione, nondum emendata lymphae visciditate, erumpant exanthemata, utile erit amaris saponaceis camphoram cum grano uno, aut altero mercurii dulcis adjungere, quam in hoc statu morbi semper valde proficuam esse observavi.

In ea autem febre quotidiana, quae propius ad lentam nervosam accedit, caute vena secanda est, prosunt epispastica, atque inter attenuantia multi facienda est camphora, aut amaris resolventibus, aut mitibus diaphoreticis juncta.

In ea autem quotidiana febre lentae etiam nervosae speciem constituente, quam peperit longa moestitia, praeter camphoram, atque amara resolventia utilis erit usus *zedoariae*, *serpentariae*, *contrayervae*, aliorumque vim fractam, et effaetam vitalem excitantia. Similia etiam praesidia opportuna erunt in vera febre nervosa, at si humores ex actione putridarum particularum, et per stasim vitientur, atque ad solutionem tendant, remediis corroborantibus, et excitantibus etiam acida maxime vegetabilia erunt adjungenda, et horum remediorum administratione, convenientique regimine erit exanthematum eruptio sustinenda. Generatim autem monemus alvi fluxum, neque etiam sero lactis promovendum esse, et purgantia esse perniciosa.

Cum Peticulis.

231. Summe periculosa est miliarium cum peticulis complicatio; uterque enim

morbus a sui generis miasmate (1) pendet, quorum actio inter se plurimum discrepat. Peticularum miasma nervorum, et canalium actionem deprimit, uti ostendunt pulsus imbecillitas, virium prostratio, sensuum hebetudo etc. Miliarium autem venenum fibras, et nervos tendit, et ad agendum excitat. His constitutis patebit.

Cur ab actione miliarium miasmatis peticularum effecta immutentur.

Cur surditas recedat, et bombus in tinnitum convertatur etc.

Cur peticulae (2) non sine aliqua elevatione sint, deinde miliarium miasmate vincente in pustulas abeant.

(1) Qui peticulas, et miliaria pro symptomate habent, existimant eamdem humorum alterationem peticulas, et miliaria gignere posse, neque inter utrumque miasma differentiam essentialem agnoscunt ita, ut sint, qui miliaria peticulas albas vocaverint, sed hujusmodi doctrinae cultores ad aegrorum lectum provoco, atque si patienter, et sine praejudicata opinione voluerint hunc veritatis librum consulere, videbunt evidenter hujusmodi morbos sui generis peculiarem aegritudinem constituere, diversa symtomata praeseferre, diverso modo progredi, atque non raro absoluto curriculo peticularum latens miliarium venenum explicari, et pro uti fert sua natura suum curriculum peragere, aut in vitam, aut in mortem ita, ut qui a peticulari morbo evaserunt, et securi videbantur, a morbo miliari superveniente interimantur.

(2) Peticulae, quae olim frequentiores extiterunt, quando diffusa fuit miliarium calamitas, fere disparue-

Cur pro varia utriusque copia etc. (119) varia sequi debeant.

Cur peticulae minus frequentes in praesentiarum sint.

232. Peticularum venenum ad stasim gangraenosam humores disponit; miliarium miasma ad inflammationem. Igitur miasmatis miliarium opportuna expulsio a peticularum veneno impedietur. Curationis ergo ratio ex utriusque diligenti consideratione pendet. Quam justo fieri potest aestimandum est, cujusnam miasmatis quantitas, et actio potissima sit, peticularum ne, an miliarium. Illarum miasma exposcit, ut status solidorum, et fluidorum ab ipsis illatus, et congruam miliarium eruptionem prohibens corrigatur. Haec dum fiunt, cavendum summopere est, ne diaphoreticis ad cutim cito propellatur, quod maxime exitiale est (119).

runt, et raraefactae sunt: idem etiam observavit in agro Mantuano *Felix Asti*, sed a viginti, et ultra annis, quum febres catarrhales epidemicae malignae ex remotis regionibus peticularum venenum intulissent, iterum visae sunt peticulae, atque ab eo tempore purae, simplicesque miliares multum rarae factae sunt: puto nimirum ab actione miliarium veneni ita concitari, atque erigi vasorum actionem, ut nisi copia aliqua adsit veneni peticularum, nullo modo peticulae apparere possint, quae contrarium statum liquidorum, et solidorum expostulant.

Ergo in genere conveniunt mitia subacida, diluentia, corroborantia, et antiseptica, ex. gr. carduus benedictus (1), scordium, angelicae, imperatoriae radix, serpentaria virginiana, zedoaria, camphora etc., sed iterum et iterum monemus parva dosi esse calidiora antiseptica adhibenda, ne urgeant valide ad cutim. Sanguis liberalius, quam in simplici peticulari febre, detrahendus est.

233. Quae exposita sunt, exhibent generales regulas, quibus innititur miliarium cum peticulis complicatorum curatio, sed multiplices differentiae, quae nascuntur ex utriusque miasmatis varia copia, compositione, peculiares animadversiones requirunt, eo vel magis quod haec aegritudo longe frequentius similis complicationis casus exhibeat. Expedit autem plurimum, ut materies peticularum primum per sudorem diffletur; si enim post inceptam, aut peractam pustularum miliarium eruptionem, peticularum venenum adhuc in vasis minimis haereat, pustulae miliares progressum difficile habebunt deleta, aut imminuta a veneno peticularum

(2) Plura, atque diversi generis, et efficacia medicamenta propono; eliget autem Medicus, quae magis accommodata videbuntur.

vi derivante, quae cutis organo inest, nervorumque tono infirmato, sanguinisque compage ex adacto principio peticularum intra sanguinem debilitata. Inde etiam patet pro ratione circumstantiarum, et temporis morbi, tum etiam morbi successionum diversis omnino praesidiis curationem perfici debere ita, ut modo tonica, aromatica, et stimulantia, modo diluentia, et mitia attemperantia, modo subacida debeant in usum venire. Haec omnia peritus Medicus pro re nata definiet, eo vel maxime quod diversorum miasmatum actio varia ratione interdum se efferat, aut delitescat. Ut igitur tyrones in hac difficilis curationis complicatione securius se gerere possint, subjiciam quasdam regulas (1) in usu

(1) Diligenter autem, atque etiam aliqua copia sanguinem mittere oportet in casus (119. *cc.*) Cucurbitulae dorso applicitae cum scarificatione saepe magnae sunt utilitatis, atque interdum venae sectioni praeferendae, si pulsus demissi sint. Quod si morbus pro causa etiam habeat suppressam perspirationem, atque inde genita sit lymphae spissitudo, ut ajunt, rheumatica, cucurbitulis, et venae sectione sollicite curandum est, ut circuitus humorum liberior reddatur.

Ab emeticis tempestive adhibitis magnum emolumentum sperandum est, si bilis notabilem causae conjunctae rationem habeat; aliis autem in casibus emetica opportuna non erunt.

Purgantia generatim perniciosa sunt, atque ii, quos alvi fluxus urget, non servantur. Clysteres nocumento carent, nisi instet exanthematum eruptio.

summorum remediorum observandas. Venae sectio parcius instituenda est, si aga-

Frequentis usus esse possunt *scordium*, *carduus benedictus*, atque ubi virium imbecillitas, humorumque visciditas, exstimulantia antiseptica desiderat, *serpentaria virginiana*, *zedoaria*, *et contrayerva* adhiberi poterunt. In febribus lentis nervosis camphora aliis remediis adjungi utiliter solet; *moschus* autem minima vasa expedit, et fugat imminentes convulsiones ex stimulo veneni miliarium, si lentor, et visciditas humorum adsit. Haec autem omnia remedia opportuna non sunt in sudatoriis febribus, in quibus *acetosae* succum, atque acida vegetabilia praesertim commendamus, sed et in hisce febribus praeter usum acidorum etiam opportunum est amara antiseptica, et vim vitae substinentia una adhibere cum eo regimine, quo neque sudores urgeantur, neque dispellantur.

Nostrae autem observationes conveniunt cum iis, quae commentariis Soc. Paris. (*Tom. II. p.* 46.) monuit *Tessier* de epidemia oppidi *Hardivillers*. Cl. auctor adnotat in hac febri modo peticulas, modo miliaria exanthemata apparuisse, atque eamdem esse cum sudatoria Picardorum; acida esse opportuna, sudores autem neque propellendos, neque dispellendos esse, sed prudenter regendos, afferens exemplum foeminae, quae translata fuit die nona morbi, et sequenti nocte mortua est.

Ad bilem corruptam, quae sanguini infunditur, aut infusa est, corrigendam laudamus praeter emeticum tempestive exhibitum, atque etiam repetitum, infusum absynthii cum succo limonum, aut usum mixturae Riverianae, est sale absinthii, et succo limonum, aqua dilutam, et pro potu exhibitam.

Vesicantia quando conveniant, qua nam ratione regendus sit sudor, potus administrandus, aër renovandus, ex iis, quae suo loco dicentur, patebit. In sudatoriis febribus confidentius utique lintea, et indusia mutari possunt, sed et eo in casu valde circumspecte res peragenda est, si vesiculae miliares quadam copia jam effloruerint.

tur de febribus lentis nervosis, et de sudatoriis, atque iis, in quibus multum praevalet peticularum venenum, aut bilis corruptae copia sanguini infusa morbum gignit. Negligenda autem non est, imo alacrius vena secanda in ea, quae per dolores abdominis incipit.

Nitrum in hac morbi complicatione non convenit, vix unquam opium dari potest; neque ex nostra observatione juvat cortex peruvianus, nisi adjuncta sit vere periodica febris, aut collabescens sanguinis, et humorum textura tonicum hoc medicamentum expostulet, quod erit semper jungendum tonicis aromaticis, antisepticis, uti *serpentariae virginianae*, aut *contrayervae*, non omisso usu acidorum. In febribus peticularibus passim auctores commendant, et adhibent corticem peruvianum, sed apud nos tam fausti exitus non eveniunt. Crediderim id evenire propter miliarium complicationem, quae certo nocumentum a peruviano cortice persentit.

Ultimo demum moneam, nullum fere morbi genus esse, in quo, pro ratione temporis, morbi, variarumque circumstantiarum, adeo diversa ratione sit procedendum ita, ut modo oporteat motus erigere, modo aliquantum compescere, modo exstimulare, et lentos humores resolvere, modo eam, quae demum resolvitur, humorum massam convenientibus remediis continere, quin tamen negligatur status irritabilitatis saepe imminutae, et infirmati roboris nervorum. Saepius in peticularum cum miliariis complicatione vidi utile extitisse *scordium*, et *acetosam*, aut utrumque *serpentariae*, aut *contrayervae* conjunctum, sed uti alias jam dixi, magna sagacitate Medicus omnia debet comparare, et ex pulsus consideratione materiae morbificae naturam, et ejus effectus, atque motus naturae, quantum quidem licet, definire, et metiri.

234. Cum peticularum venenum, quod miliarium miasma retinet, per evacuationem (1) educi non possit, neque talem methodum status sanguinis saepe densi, et gangraenosi permittat, mihi videtur hisce in circumstantiis methodum (205) non posse adhiberi. Si interim progrediente morbo alvus fluat, leniter hunc motum sustinere, aut etiam adjuvare oportebit.

235. Eo tempore, quo symptomata peticularum paullatim recedunt, se seque explicant (118) miliarium phoenomena, saepe, antequam expulsio perficiatur, mittendus iterum sanguis est; et tunc si facies morbi ex integro sit, (quod rarum

(1) Neutique me latet praestantes viros protulisse peticularum curationem per evacuantia; ego dicam libere quid observaverim. In ea peticulari febre, quae ex bile corrupta sanguini infusa nascitur, emetica, atque purgantia commendo tempestive adhibita; verum ubi venenum jam ad minima vasa cutis pervenit, ea perniciosa pronuncio: natura enim per cutis viam, et non per aliam maligno miasmate se se liberat, neque habeo peticulas tantum pro symptomate, imo existimo saepius morbum sui generis essentialem constituere. Quae contagio suscipiuntur, aut sequuntur diutinas perversiones humorum, quae intra minima vasa sensim factae sunt, purgantium ope curari nequeunt: licet interdum naturam, quae corruptae lymphae, et bilis per alvum evacuationem promovet, debeat Medicus clysteribus, et mitibus lenientibus sustinere.

admodum est), miliarium febris, tamquam miliaris morbus curandus est. Plerumque oportet in antisepticorum corroborantium (232) moderato usu etiam perseverare.

Cum Variolis.

236. Variolarum seminium exigit, ut hujus miasmatis particulae ad extrema sanguineorum cutis vasorum delatae tumorem excitent, qui in suppuratum abeat. Miliarium interim miasma pustulas, et vesiculas excitat, quae neutiquam abscedere possunt. Dum una igitur haec miasmata miscentur, et agunt, utrorumque actio, et expulsio turbatur. Variolarum seminium vasorum sanguineorum inflammationem producens prohibet, quominus ad minima lymphatica vasa miliarium miasma perveniat: miliarium vero miasmatis actio fibras maxime tendens variolarum suppurationem impedit. Hoc pacto gangraenosam indolem sanguis acquirit; profunde inflammatur cutis; variolae vix crescunt, nec suppurantur; cutis nervi a male erumpentibus pustulis continuo convelluntur etc. (120)

237. In tanto aegrorum periculo quid

faciendum esset, utique video, sed efficax, qua id peragatur, medicina me latet. Maxime inflammatoria sanguinis constitutio desiderat V. S., emollientia, diluentia, attemperantia. Subacidis infringenda est gangraenosa humorum conditio, et praecipue miliarium (utinam specificum adversus miliarium miasma innotesceret!). Nimia cutis tensio, difficilis tum variolarum suppuratio, tum miliarium expulsio fotuum maxime emollientium usum exposcunt; sed his omnibus praesidiis potentiorem morbi atrocitatem fuisse usque nunc observavi (1).

Cum Morbillis.

238. Hac in complicatione quid praestare Medicus debeat, quisque videt; sanguinem nempe majori copia, quam in simplici morbillosa febre, esse detrahendum; attemperantia, et epicerastica, mitiaque subacida esse praescribenda; methodum (205) in usum duci non posse;

(1) Anne in variolis cum miliaribus exanthematis complicatis, si fere eodem tempore fiat eruptio, utilia erunt balnea tepida? Cortex Peruvianus in hac gangraenosa indole variolarum, quae gignitur ex statu inflammatorio, non ex humorum putrida corruptela, nequit esse proficuus, et ejusdem usui miliarium venenum adversatur.

et in altera periodo sicuti simplicissimum, aut simplicem miliarium morbum curandum esse.

Cum Febre scarlatina.

239. Curandum est, ut mitibus diaphoreticis sudor promoveatur, sed quandoque, si vires aegri permittunt, atque verisimile sit lymphae densitatem subortam esse sub dio febris, aut jam extitisse, vena tundenda est. Sicuti faciendum est in emphisemate, quod morbillos, et simplicem scarlatinam sequitur. Vesicantia in hoc morbo opportuna minime sunt, neque conveniunt diaphoretica stimulantia.

Complicati cum Puerperio.

240. Puerperium tantam ac in simplicissimo morbo sanguinis detractionem non patitur; lochiorum habenda enim maxima ratio est (1). Ut fluant, facien-

(1) Lochiorum parcitas, et suppressio venae sectionem ex pedibus saepe requirit, eaque etiam repetenda juxta impetum febris, et aegrae vires, maxime si aliqua plethora capitis adsit, sed cum vires conservandae sint ad lochiorum fluxum sustinendum, monemus iteratas venae sectiones saepius non convenire, atque longe majori circumspectione mittendum sanguinem esse, quam in simplicissimo miliari morbo.

dum est inferiorum partium frictionibus, fotu ad regionem uteri, et adhibitis iis remediis uterinis, quae citra magnum calorem lochia pellunt, quemadmodum sunt *Camaemelum*, *Artemisia*, *Tanacetum*, *Matricaria etc.* Methodus (205) a puerperio prohibetur; utiles erunt emollientes clysteres, quibus non solum alvus duci, sed uteri etiam dolores leniri possunt. Caetera eruantur ex curatione morbi simplicissimi (1).

(1) Nonnulla interim animadvertenda esse existimo. Expectanda non est febris vehementia cum pulsu duro, nisi adsit fortis inflammatio uteri. Pulsus plerumque celer est, parvus, et in fine contractionis, quod ad impetum veluti debilis quamdiu miasma uterum tenet. Ægrae de uteri dolore vix conquaeruntur, nisi uteri regio contrectetur. In miliari vero morbo cum peticulari complicato pulsus celer est, parvulus, debilis, pulsatione etiam incompleta, et deficiente, et vix ullum uteri dolorem sentiunt, sed soporose frequenter delirant, atque uti jam diximus ubi actum est de morbo miliari cum peticulis conjuncto, febris puerperalis maligna ad hanc complicationem pertinet. *De Brieend* (*Soc. Roj. de Méd. pag.* 257. *tom V.*) contra *Gastellerium* ostendit miliarem morbum nullatenus deberi regimini callido, animadvertens puerperas altae Alverniae etiam altero a partu die e lecto surgentes sine ullo regimine callido in miliarem, et malignam febrem incidere.

Qui vero de puerperarum morbis peculiariter scripsit *Puzos* (*Traité des accouchemens Paris* 1759.) etiam in febri lactea benigna monet perspirationem esse excolendam, atque condemnat evacuantia.

Diaphoreticis exanthemata non sunt ad cutim incitanda in puerperio, sed quando apparuerunt etiam utilia diaphoretica sunt, eaque circumstantiis

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

ANIMADVERSIONES, ET CAUTELÆ CLINICÆ.

De Praesidiis Chirurgicis.

241. Venae sectio summe necessaria hac in aegritudine (206) non est inconsiderate instituenda, neque illorum scio probare curandi rationem, qui perinde ac si simplex inflammatorius morbus esset, sine alia consideratione sanguinem liberalissime educunt. Vires cum sanguine hoc pacto exhauriendo naturam ita debilitant, ut bonae expulsioni amplius par non sit. Larga autem sanguinis missio generatim nocebit in simplici, et maxime in complicato morbo. Pluries vidi propter exhaustas vires pleuritidem (103) resolvi

aptanda; caveant autem maxime tyrones ne verae miliaris febris exanthemata pro febris lacteae exanthematis habentes, quae facienda sunt negligant, atque dolores uteri lactis congestionibus tribuentes, purgantia, uti gummi ammoniacum, praescribant, a qua medendi methodo non pauca inopinata infortunia observandi occasio mihi se se obtulit.

non potuisse; sed partim ex sphacelo, partim, ex humorum stasi brevi aegros occubuisse, pustulis pene nullis apparentibus. Heu nimium quidem apud nonnullos invectam esse consuetudinem video sanguinem profuse mittendi, ut boni civis esse existimaverim serio eosdem hac de methodo admonere. Decies, et ultra venam largiter hi secant in prima periodo, existimantes se posse hac ratione morbum jugulare, sed revera aegrum pro morbo jugulant. Definiri quidem non potest sanguinis mittendi quantitas, quae pro ratione diversa et morbi, et aegri constitutionis, regionis, anni, temporis etc. varia esse debet; sed plerumque satis est robusto viro partitis vicibus quinquaginta circiter uncias sanguinis detrahere in simplicissimo morbo.

242. Si neglecta fuerit venae sectio in prima periodo, et in alterius initio, aut progressu pulsus maxime tensus, et durus persentiatur, sanguinem adhuc detrahi posse non dubitamus. Tunc autem necessum est partitis vicibus, et pedetentim vasa deplere, ne ex prompta copiosa sanguinis eductione, fracto versus cutim ejusdem impetu, pustulae subsideant cum aegri detrimento.

243. In altera periodo opportunum non est venam secare; gravia enim symptomata hujus periodi producuntur a cutis affectione, quae per venae sectionem non corrigitur. Ad caput deplendum cucurbitularum, hirudinum appositionem commendamus; non venae sectionem propter metum retrocedentium pustularum, quod experientia pluries monstravit (156).

244. In usu cucurbitularum, frictionum, et fotuum diligentia adhibenda est, ne aëris frigidi aura gliscat ad aegri cutem, quae pustularum depressionem parere posset. Fotus (1) ideo administrentur per lintea calida, et humentia bene expressa, linteo sicco involuta, ne lecti lintea madescant, quae frigefacta maximi nocumenti esse queunt.

(1) Eo tempore, quo sudor disparet, et cutis praecallida redditur, nihil utilius observavi fotu per lintea callida et humentia convenienter administrato, et involventia brachia, et tybias, quibus sudor, et exanthematum elatio alliciuntur. Balnea tepida utilia dicuntur fuisse. (*Journal de Méd. avril* 1787. *pag.* 71.); tempestate callida fortasse id fieri poterit. Quae ipse vidi experimenta votis non responderunt; maxime enim sensibilis cutis est eo in statu, et ex leviuscula aura depressio pustularum multum cietur: ea potius commendarem occasione pustularum difficile erumpentium, non autem, quae jam exierint, subsidentium. In morbo non acuto, sed qui chronicus redderetur, balnea vere utilia fuisse pluries observavi.

245. Vesicantia plures expostulant animadversiones, ut adhibendi rationem, et tempus, quantum nobis licet, decernamus. Pluries de vesicantium usu inter Medicos controversum est. Olim inter *Bernardinum Cajum* (o), et *Dominicum Terillum* (p) quaestio extitit. Contra *Alexandrum Massariam Hercules Saxonia* (q) vesicantium usum olim defendit. *Freindius* (r) vesicantia plurimi fecit: *Baglivius* (s) maxime reformidavit. Acerrime demum de vesicantium usu disputatum est inter *Praecl. J. Bianchi*, et *Adversarios* (t). *Baglivii* experimenta ostendunt pulverem cantharidum venis infusum mortem afferre, et ex affuso eodem pulvere sanguinem hominis sani in nigrum, et livescens serum tempore resolvi: si vero sero immisceatur, serum idem longe liquidius evadere. Contra autem *Baglivii* experimenta faciunt accuratae *Praecl. Josephi Veratti* observationes (u), quae probant ex cantharidum, aliorumque similium

(o) *Bernardini Caii de vesicantium usu. Venetiis* 1606. 4.
(p) *Dominici Terilli de vesicantibus dilucida antilogia. Venetiis* 1607. 4.
(q) *De Phenigmis libri tres. Patavii* 1593.
(r) *Cap. IX. de vesicantibus.*
(s) *De usu, et abusu vesicantium.*
(t) *V. Raccolta di scritture mediche appartenenti alla controversia de' vescicatorj. Venezia* 1749. 4.
(u) *Comment. inst. scient. Bonon. t.* 2. *p. alt. p.* 107.

acrium commixtione cum sero, aut sanguine sanguinem, et serum cogi, et concrescere, et diu in tali statu permanere. Videamus modo experientia duce, quid in tanta Auctorum dissensione statui possit.

246. Vesicantium effectus ad capita quatuor reduci posse mihi videntur. 1.° solidorum, et nervorum irritationem: 2.° seri ex vesica eductionem: 3.° subsequens ulcus: 4.° ad actionem particularum sanguinem subeuntium.

Solidorum, et nervorum irritatio duplex est. Una in parte, cui epispasticum applicitum fuit, altera ex communicatione nervorum generatim in toto corpore (162). Haec autem solidorum irritatio huic morbo generatim non convenit, qui ex sua natura solida convellit. Si vis solidorum torpeat, in simplici, aut complicato morbo ad vasorum actionem excitandam adhiberi vesicantia poterunt.

Seri per vesicatorium eductio nullius utilitatis esse videtur; imo vetari a nimia sanguinis condensatione, et seri expressione.

A vesicantibus relictum ulcus pustularum eruptionem non prohibet, nec imminuit; venenum quoque hac via non

educitur (1) (162), nisi quando viscidae lymphae miasma inhaeret. Et sane observamus fonticulos, et setacea, quorum vices supplent vesicantia, utilia esse, quando non tenuis, sed viscidus acris humor sit eliminandus. In complicato igitur morbo, potissimum in casu (101), juvabunt vesicantia.

Quid cantharides in homine vivo, quum ad sanguinem, et serum pervenerint, agant, theoretice inquirere nolo. Experientia ductus, video urinas ex cantharidum usu cieri, actionem vasorum excitari, haerentes humores in circuitum pelli (162), et attenuandi scopo a practicis adhiberi. Certum quoque est acria pleraque, et antiscorbutica efficaciora, causticis proxima, lentos, et resides humores solvere. His observationibus innixus existimo internam cantharidum actionem profuturam in casu (83 101), et si-

(1) Epispastica ad eas partes, quibus applicantur, venenum attrahunt, atque observatio monstravit accumulari pustulas circa locum, cui applicita fuerunt vesicantia. Portio autem veneni per excitatum ulcus, certo etiam educitur iis in casibus potissimum, in quibus materies veneni, quae pustulas dedit, profundius intra cutem adacta, viscidaeque lymphae inhaerens per telae cellulosae vias potest ad eliminationem concitari, et venire, uti evenit in iis casibus, in quibus curandum est, ut vitiosa degener materia, quae in cute ipsa colligitur, per fonticulorum viam e corpore educatur.

milibus: in casu autem (76) nullum vesicantibus locum fieri, quum eorum usum prohibeant cutis inflammatio, maxima nervorum tensio minima de causa in convulsionem evadens, et urinarum profusio. In simplicissimi etiam morbi prima periodo noxa non carere opinor, eo quod sine ullo emolumento vasorum contractionem adaugeant, et eruptionem sollicitent.

247. Addam nonnulla de sinapismis, quae praescripta quandoque vidi, etiam in statu (76). Saevum hoc tormenti genus fere nunquam imperari posse mihi videtur: at in casu citato (76) omnino perniciosum propter ardentem febrim, et statum aegri, ex calore, et inquietudinibus omnino furentis.

De Medicamentis nonnullis.

248. In nitri abusum primum dicam, et illos, qui omni tempore indiscriminatim eodem utuntur. Nitrum sanguinis impetum cohibet, et aquei lotii copiam sollicitat. Suspectum idcirco ejusdem usum habeo, dum pustulae erumpunt, nisi vehemens sanguinis, et bilis potissimum impetus attemperantia, et quae compes-

cunt, expostulet. Si viscidae lymphae miasma adhaereat, non recte etiam praescribi nitrum opinor. Prima periodus plerumque nitri usum permittit, sed in altera caute hoc praesidii genus imperandum. Quae de nitro dicta sunt, de acidis mineralibus monita majori jure serventur.

249. Diaphoretica, quando adhiberi possint, ex iis, quae tradita fuere in curatione morbi simplicissimi, simplicis, et complicati, jam liquido constat. Nunc tantum animadvertemus efficacissima diaphoretica (1) hac in aegritudine non convenire. In prima periodo eruptionem promptiorem in aegri detrimentum faciunt: in altera vero febrim, calorem etc. adaugent, sanguinem maxime exagitant, et morbum intendere possunt. Per diaphore-

(1) Quamvis diaphoretica efficaciora in prima periodo non conveniant, atque in altera periodo etiam condemnaverim, hoc monitum respicit praesertim ea, quae stimulantia, et calefacientia sunt, non autem ea, quae resolvendo agunt, et minima vasa possunt ab haerente humore expedire, uti sunt moschus, et camphora. Preterea ob oculos etiam habenda erunt aegri conditio, atque morbi complicati natura, quae interdum non mutabit, sed etiam expostulabit illa, quae calefacientia, et aromatica sunt, uti *zedoaria*, *serpentaria*, *contrayerva* etc. si vis vitae torpeat, atque lenta, viscidaque effaeta lympha in minimis vasis haereat.

tica potentiora olim tractabatur hic morbus, nunc omnium pene consensu exitialis haec methodus exolevit.

250. Absorbentium usum nonnulli adhuc tenaciter tenent; pulchro absorbentis medicinae nomine inducti putant se posse venenum hac ratione absorbere, et infringere. Incomparabilis *Boerhaave* horum remediorum inutilitatem monuit, et Praecl. *Ludovicus Tralles*, qui absorbentium vires accurato examini subjecit (*x*), ostendit eadem potissimum agere in primis viis. Sed insuper absorbentium nonnulla nocua evidenter hoc in morbo esse debent, eo quod vim habeant putrefacientem (*y*): corruptivae autem naturae (186 187) miliarium miasma sit.

251. Opium non sine magna circumspectione (1) dandum est, saepiusque

(*x*) *Virium, quae terreis remediis gratis hactenus adscriptae sunt, examen rigorosius. Uratislaviae* 1740. 4.

(*y*) *Pringle maladies des armées etc. tom.* 2. *p*. 209. lapides cancrorum, testacea, et cretam putrefactionem maxime juvare experimentis probat.

---

(1) Instante praesertim eruptione, quam quidem difficiliorem reddat nervorum magna sensibilitas, atque fibrarum nimia irritabilitas, utique adhiberi potest; animi etiam pathemata, ex quibus vigiles, et irrequieti aegri sint, sedare opio licebit; sed etiam caute facienda sunt, et saepius mitia diaphoretica erunt adjicienda.

nocet, quam prosit. Indoles morbi ad inflammationem proclivis, status cutis inflammatorius in altera periodo, capitis plenitudo (199) opii usum non permittunt; neque convulsiones, cum pendeant ex nervorum cutis irritatione tamquam ex spina cuti infixa, opii auxilio tolluntur (167); in morbo autem complicato (101 103 etc.), sicuti etiam in statu (82) omnino perniciosus est opii usus.

De Regimine diaetetico.

252. Multum confert ad bonum morbi exitum aëris conditio. Vapores assidue ab aegri corpore exeuntes brevi aërem vitiant, et respirationi ineptum reddunt; renovandus ergo hic erit. Calidus aër in prima periodo sudores promovet, et aegrum debilitat; in altera periodo aestum, anxietates, febrim auget. Frigidus pustulas repercutit, quod summe perniciosum est. Requiritur itaque quaedam moderatio, temporis, et aegri constitutioni accommodata.

253. Potus in altera periodo nunquam detur frigidus (1); ex frigore enim mo-

(1) Æstivis temporibus frigidus utique potus poterit exhiberi, nunquam gelidus, quo tamen utiliter usus

bilissimi eo tempore nervi facile concutientur cum quodam horrore, et pustularum subsidentia.

254. Cibum apud Nostrates plerumque constituunt juscula carnis vitulinae, quae librae unius pondere singulis tribus horis exhibentur. Planum est pleniorem victum dandum esse in puerperio; quando morbus diu trahitur; et cum declinare incipit. Tempestatis, consuetudinis etc. ratio quoque habenda est. Singula haec Medicus, prout opportunum existimabit, pro re nata decernet.

255. Lintea, et indusia mutanda non sunt, postquam pustulae apparuerunt; sero etiam in fine morbi abjicienda (2);

sum quandoque in prima periodo morbi, praecipue in morbo cum febri ardenti complicato, atque aestivis temporibus.

(2) Celebris Medicus Gallus, qui scripsit accurate de febre miliari, *Aufavre* (*Soc. R. de Méd. de Paris tom. IV.*) cum morbum contraxisset, atque tentasset indusia mutare, ad mutationem hanc conficiendam incitatus ab assidentibus, qui nondum eruptionem factam esse asseverabant; interrupto sudore subito scotomia, aurium tinnitu, et syncope affectus est, atque diligenter postmodum eruptionem excolens usque ad exsiccationem ex integro convaluit.

nisi enim accurate custodiatur perspiratio, quando cuticula squamatim decidit, morbus temporis successu facile renascetur.

Si lintea multo sudore imbuta molesta aegris evadunt frigus quoddam excitando, quod pustulis maxime inimicum est, in tali rerum conditione nova substituantur. Id fiat magna cum circumspectione, et caveatur, ne lintea nimis calida cutis omnem madorem exugant. Ob eandem rationem minime probamus eorum usum, qui linteorum madorem excalfactorio fugare solent; non modo enim lintea, sed cutem etiam aegrorum siccant. Si tempestatis conditio, et aegri status tale auxilium velint, moderatissime caleat excalfactorium, ut nimium linteorum madorem tantummodo dissipet, aut frigefacta lintea calefaciat.

256. Curetur denique, ne animus ira commoveatur, moerore conficiatur, aut timore torqueatur. Nam summe mobilis, praecipue in altera periodo, nervorum status convulsiones parere, et pustularum retrocessionem facere potest.

CAPUT DECIMUMNONUM.

CURATIO MORBORUM SUCCEDENTIUM.

257. Difficilis post morbum sudatio haerentem in minimis cutis vasis humorem indicat, eaque vincitur frictionibus, tepidoque balneo, et corporis exercitio.

258. Vari, furunculi, et similia pustularum genera morbum consequentia motus naturae sunt morbi reliquias expellentis, quos Medicus juvabit externe frictionibus, tepido balneo; interne vero attenuantibus, et corroborantibus, ut incongrua materies ex integro eliminetur. Ad hunc finem adhibentur vipera, radix chinae, salsaparilla, scabiosa, bardanae radix etc.

259. Facilis ex quocumque motu sudatio si nascatur ex sola vasorum debilitate, proderunt frictiones, et balnea minimum tepida, et corroborantia; verum si superstes aliqua miasmatis copia eam fo-

veat, nocebit balneum frigidum, et colenda accurate erit perspiratio.

260. Memoriae infirmitas, et nervorum mobilitas euchimum cibum, facilisque concoctionis, corporis exercitium, et moderatam defatigationem, animi tranquillitatem, rusticationem, aëris puri usuram, frictiones, oleosa nervina, et saepe, quae humorum acrimoniam obtundere possunt, requirit.

261. Rheumatismus iis saepe advenit, quorum lympha viscido-salina est: eo autem in casu confert lacte, sero lactis, aliisque similibus humorum muriaticam indolem corrigere, et eorum visciditatem solvere mitibus attenuantibus; solida emollire balneo; vasa demum aperire thermarum sulphurearum usu.

262. Si permanentia symptomata convulsifica (73) aliquam adhuc miasmatis copiam residuam superesse indicaverint, nihil opportunius erit, quam diutissimus tepidi balnei usus; juvabunt quoque, quae (258) indicavimus.

263. Quae varia sequi possunt ex diversa aegrorum constitutione, et morbo-

rum complicationibus praetermittimus, ne opellae hujus limites pertranseamus. Quid praestandum iis in casibus sit (1) ex consideratione miliarium morbi (257 262), et ex cognita natura morbi complicati, ejusque effectuum deducatur.

(1) Monemus interim in curatione horum morborum magnam rationem habendam esse superstitis miliarium veneni, neque hujusmodi morbos tolli, nisi curetur exanthematum eruptio, quae pro ratione circumstantiarum expostulabit magnam sagacitatem, et dexteritatem Medici, qui sciat convenientibus remediis retentum venenum expedire, atque opportuno tempore eruptionem aut sustinere, aut adjuvare.

CAPUT VIGESIMUM.

PROPHYLAXIS.

264. Prophilaxis innititur aëris puri, et aequalis, necnon coeli calidioris usurae (60), corporis exercitio (61), summae perspirationis curae (64), subacidorum (160 203), et alvum lenientium (205) usui, et demum remediis, ac victui sanguinis, et lymphae (204) visciditatem, et densitatem praecaventibus.

FINIS.

Superiorum Permiſſu.

VITTORIO AMEDEO

PER GRAZIA DI DIO RE DI SARDEGNA; DI CIPRO, E DI GERUSALEMME; DUCA DI SAVOJA, DI MONFERRATO EC.; PRINCIPE DI PIEMONTE EC.

Nella determinazione presa dal Professore emerito di Medicina nella nostra Università, e Direttore primario del Museo di Storia naturale, e dell' Orto Botanico Dottore Carlo Allione di far ristampare il suo trattato delle Migliarie, con molte note, ed aggiunte, che vi ha fatte, e di dare successivamente alla luce a pubblico benefizio un altro libro da lui composto col titolo di *Conspectus praesentaneae morborum conditionis*, nel quale descrive le mutazioni de' mali succedute principalmente da dieci anni a questa parte, e della maniera, con cui egli crede, che si debba provedere a' medesimi, è a Noi ricorso, e rappresentandoci il grave danno, che verrebbe a risentire, qualora i suddetti libri venissero da altri fatti ristampare, ovvero s' introducessero ristampati fuori Stato, ci ha supplicati di accordargli perciò il privilegio privativo. Abbiamo favorevolmente accolta la di lui dimanda, in vista di dargli un contrassegno del gradimento, con cui rimiriamo le fatiche ed attenzioni, con cui egli si adopera a vantaggio del pubblico; epperò colle presenti, di Nostra certa scienza, ed autorità Regia, avuto il parere del Nostro Consiglio, abbiamo accordato, ed accordiamo senza pagamento di finanza al prenominato Professore emerito Carlo Allione il privilegio privativo per anni dieci prossimi di fare stampare da quello stampatore, che verrà da lui destinato, i sovraespressi due libri intitolati, cioè uno *il trattato delle Migliarie*, e l' altro *Conspectus praesentaneae morborum conditionis*, inibendo a chiunque altro di stamparli, ristamparli, o farli stampare sotto il medesimo, od altro titolo, oppure d' introdurli, smaltirli, o venderli, nel caso che venissero stampati fuori Stato, e ciò sotto la pena della perdita de' libri medesimi, i quali cederanno al Suppllicante, e di scudi 50. al Fisco Nostro applicandi per ogni contravvenzione.

Mandiamo a chiunque ſia ſpediente di oſſervare, e fare oſſervare le preſenti, le quali vogliamo, che ſiano ſpedite ſenza pagamento de' diritti di quos, ed albergo, derogando per queſt' effetto al diſpoſto de' §§. 2, e 14. cap. 2. tit. 1. della Tariffa. Che tal è Noſtra mente. Dat. in Torino li venticinque del meſe di decembre, l' anno del Signore mille ſettecento novanta due, e del Regno noſtro il vigeſimo

V. AMEDEO

V. Corte
V. Petitti di Roreto
V. di Serravalle

Graneri.

ERRATA			CORRIGENDA
pag.	*lin.*		
33	34	legat quae evolvant	evolvat
43	10	callidum	calidum
57	16	erupuerunt	eruperunt
58	31	facta	factam
63	30	rigat	riget
78	21	trasfertur	transfertur
86	13	conjunctis	conjuncto
87	28	parcae	paucae
88	29	morbum	morbus
idem	39	symptomata	symptoma
99	34	qualitas	qualitatis
105	15	eorum	earum
idem	11	postumum	posthumum
106	17	facit	fecit
idem	21	conglutinato	conglutinata
idem	22	infartos	infarctos
110	34	nimius	nimium
111	1	chilum	hilum
126	11	exstimulanti	exstimulante
159	14	offerat	adferat
169	13	excitantia	excitantium
173	20	casus	casu
174	33	est sale absintii	ex sale absinthii
180	22	soporose	soporosae

TOYEPA 1256